DE VITA ANTONII MUSÆ BRASAVOLI COMMENTARIUS ...

Luigi Francesco Castellani

Digitized by Google

Digitized by Google

5. 7. 188

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



J. Calvi Del. J. Giorgi Inc.

Digitized by Google

DE VITA

ANTONII MUSÆ BRASAVOLI

COMMENTARIUS

HISTORICO-MEDICO-CRITICUS

EX IPSIUS OPERIBUS ERUTUS

A B

ALOYSIO FRANCISCO

CASTELLANI

Philoſopho, ac Medico Colleg. Ferrar.

MANTUÆ.

Publica auctoritate excudebat

Joſeph Braglia Anno MDCCLXVII.

Digitized by Google

Si vel plebeis Scriptoribus, pro affectu nudo, gratiam aliquando habitam ſcimus, ſive pro eo, quod iter aperuiſſe ſequentibus viſi erant, quanta (oro te) gratia claris ac probatis Scriptoribus eſt habenda: qui multis ante nos ſæculis in terram verſi, divinis ingeniis, inſtitutiſque ſanctiſſimis nobiſcum vivunt, cohabitant, colloquuntur?

Franciſcus Petrarca *De Remed. utriuſque Fortunæ lib. 1. Epiſt. Præf. p. m. 35.*

Inſtruenda eſt vita exemplis illuſtribus.

Seneca *Epiſt.* 83.

57. 188

Excellentiſſimo Marchioni

CAROLO VALENTI

JOSEPH II. IMPERATORIS

ET

MARIÆ THERESIÆ

AUGUSTÆ ET APOSTOLICÆ

Intimo Cubiculario & a penitioribus Conſiliis &c. &c.

ALOYSIUS FRANCISCUS CASTELLANI S. P. D.

QUum *Antonii Muſæ Braſavoli Nobilis Ferrarienſis, ac Medici ſuæ ætatis clariſſimi de Vita Commentarium nuperrime exaraſſem, atque in lu-*

Digitized by Google

cem, quicumque ille futurus eſſet, emittere decreviſſem, ſtatim Nomini Tuo, Marchio Excellentissime, *inſcribendum,* Tibique *devovendum cognovi. Tu enim qui diſciplinarum, artiumque ſublimiorum ſcientia maxime flores, optimaſque litteras, earumque Cultores tueris in dies, Vitam literatiſſimi Viri jure quodam* Tuo Tibi *repetere videbaris; eoque potiſſimum quod & Majores non modo* Tui, *ſed &* Excellentissimæ Beatricis *Conjugis* Tuæ *hoc celeberrimæ Univerſitatis Ferrarienſis lumen* Tibi *præcipue commendari & geſtiunt & probant. Ampliſſimus Patruus* Tuus Sylvius, *dignitate non minus, quam virtutibus toto Terrarum Orbi clariſſimus ita Univerſitatem, & Profeſſores*

Fer-

Digitized by Google

Ferrarienſes coluit, ut inter tot per Italiam celebres hanc unam delegerit, a qua & doctorali laurea donaretur, & in Ferrarienſium Doctorum albo (1) *adſcriberetur. Ex florentiſſima vero* BENTIVOLORUM *Gente ſummus Poeta* HERCULES, *tum* ALOYSIUS *Marchio Pater*, Theologus, Philoſophus, Orator, omnique eruditionis genere refertiſſimus (2), *tum* GUIDO *Filius, Eques & ipſe virtutibus ſpectatiſſimus maximum Virum Braſavolum univerſo Orbi omnibus viribus commendatum voluerunt. Alter enim Braſavoli ſapientiam ſuis carminibus* (3) *celebravit: Alter quum eſ-*

a 3 *ſet*

(1) Borſetti Hiſt. Gymnaſ. Ferrar. T. 2. lib. 1. p. 495. col. 1.

(2) Id. Ibid. lib. III. p. 257.

(3) Satira III.

Digitized by Google

ſet Moderator, in Ferrarienſis Univerſitatis ædibus magnifica Braſavolo inſcriptio poſita eſt: Tertius & ipſe ejuſdem Lycei Moderator, Genitoris, cæterorumque MAJORUM *ſuorum ſollicitudinem in Academia ornanda cumulate complectitur. Quamvis autem hunc pro ingeniolo meo conſcriptum Commentarium* TIBI *ex rei natura minime debuiſſem, nihilo tamen ſecius libenti eum* TIBI *inſcripſiſſem animo, ut, dum nullus illi ſplendor ex laboribus meis acceſſerat, plurimus ſaltem* NOMINIS TUI *præſidio compararetur. Omnes profecto qui ſingulares* ANIMI TUI *dotes, maximam præcipue in difficilioribus negotiis prudentiam, mentiſque conſilium, & humanitatem, comitatemque pene incredibilem, & ſummam*

mo-

morum ſuavitatem, & incomparabilem prorſus clementiam, & liberalitatem admirantur, ſicuti & Te præ reliquis merito ſuſpiciunt, ita & quæ Tua ſunt, vel Te quoquomodo ſpectant, pari reverentia proſequuntur. Sed Tibi tandem Commentarius hic meus omnino debebatur eo præſertim ex titulo, quod me una cum Franciſco Rainerio (quem ingenio, doctrina, atque experientia præſtantiſſimum Virum maxime colo, ac plurimi facio) incolumitati ſalutis Excellentissimæ Domus Tuæ perhumaniter præfeciſti. Quare quicumque mihi e ſtudiorum meorum ratione fructus percipitur, Tui juris totus eſſe videtur. Te igitur parcam obnixius deprecari, ut Commentarium Tuum æque ac meum ab ob-

Digitized by Google

trectatorum injuriis tueri velis. Si minus enim benignitati, ac patrocinio TUO *fiderem, injurius* TIBI *eſſem.* DEUS O. M. TE *una cum* EXCELLENTISSIMA CONJUGE TUA *diu incolumem, ſoſpitemque ſervet.*

CLA-

Digitized by Google

CLARISSIMO, AC OMNI DOCTRINA, ET ERUDITIONE SPECTATISSIMO VIRO

JOANNI ANDREÆ BAROTTI

ALOYSIUS FRANCISCUS CASTELLANI
S. P. D.

NOta eſt omnibus, compertaque res ex duobus principiis quemlibet hominum coaleſcere, corpore ſcilicet & mente, iiſque, ut alterutro carere minime poſſit. Genitori corpus debet filius; Præceptori mentis inſtitutionem diſcipulus. Parentis beneficio communem brutis animantibus corporis vitam aſſequimur; ſtudio ac induſtria Præceptoris divinam ferme, atque im-

Digitized by Google

immortalem animæ vitam . In divitiis pro filio comparandis inſudat Pater . Mentibus ſtudio imbuendis, morumque probitate, continentia, modeſtia, humanitate, aliiſque virtutibus informandis, queis facilis ad dignitates, honores, & opes aditus diſcipulo pateat, operam impendit omnem Magiſter . Jure igitur optimo uterque hominis parens eſt habendus . Ille corporis, hic mentis : paribus enim officiis continetur mentis, & corporis educatio. Fateor equidem, pleroſque futuros inter illiteratos præſertim homines, qui ſe magis Parentibus debere jactitent, quum nihil in ſe ipſis, quod Præceptoribus acceptum referant, agnoſcant, neque plures quam bruta Parentes habeant. Sed quid iis corporis præſtantia ſine ullo mentis ingeniique cultu prodeſſe poteſt? Mihi, quæſo, ex iis aliquem ad perfectam uſque ætatem in ſylvis,

pecu-

pecudum more, educatum fingere liceat, cujus nunquam ad aures ulla appulerit vox Præceptoris. Conſideremus diligenter hominem, non enim ſua res carebit delectatione. Quidnam hunc inter, & brutum erit diſcriminis? Quam exlex membrorum motus, quam defixus oculorum obtutus, quam ſtupida corporis forma! vultus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, quam ineptus ſemperque idem! non is tamen, qui in Socrate (1) erat, quum mentis, a qua is fingitur, nulla in eo cum poſſet fieret mutatio, nulla in hoc fieri poſſit. Nonne quod tam difficile Cicero prædicabat, mentem ab oculis ſevocare (2) in hoc homine facillimum? Quid ii innuunt oculi, quid præſeferunt, quid loquuntur? Nonne in tali corpore obmuteſcere Anima videtur? Quinam ipſi

(1) Cicero Tuſcul. 197.
(2) De nat. Deor. 63. 6.

Digitized by Google

ipſi ineſt ratiocinationis uſus, quænam conſiderata aliquid faciendi, aut non faciendi excogitatio, quodnam ſatis aptum animi conſilium? Is ne, quæ proprio Genitori debeat, quæque illi ſint perſolvenda officia, tenere dicendus eſt, qui nefariis epulis Parentum ſuorum appetit carnibus exſaturari? Pater, meo quidem judicio, ſimili prorſus ratione filio corpus fingit, ac tellus abietem, aut pinum, vel platanum producit. Quamvis hæc parvi vulgo pendantur, nihilo tamen ſecius ſi ſerris, ſcalpris, limiſque Artificis ſubjiciantur, ut elegans elaboretur ſtatua, quonam tunc pretio lignea moles non emitur? Præceptor accepta a Patre materia, Artificis in modum, naturæ, quotquot dedecent, vitia amputat, quidquid virtutem ſapit inſculpere conatur, eoque laboris ſui dexteritate opus perducit, ut dignum, & foro, & curia, & ſummo-

rum

[redacted]

Digitized by Google

rum Imperatorum aulis habeatur. Mens ita ſcientiis imbuta æternos corpori, cui nectitur, honores parit; corpus vero nullam Animæ laudem procreat. Virtus perpetuo ſupereſt, corpus contra mortale eſt: hinc ſi corpore donari delectemur, virtutis eſt; ob hanc enim honores aſſequitur corpus, opibuſque utitur. At quonam hæc mea progreditur oratio? Præceptorem Genitori præferre quaſi videor. Id vero ſi minime aſſequutus ſum, doleo minus, ſi ſaltem æqualia Præceptoribus, ac Parentibus obſequia deberi probaverim. Reipſa jurejurando affirmabat divinus Senex Hippocrates: Ηγήσαϑαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην, ἶσα γενέτησιν ἐμοῖσιν, καὶ βίου κοινώσαϑαι. καὶ χρεῶν χρηΐζοντι μετάδοσιν ποιήσαϑαι, *præceptorem, qui me hanc edocuit Artem Parentum loco habiturum, vitam communicaturum, eaque quibus opus habuerit, impertiturum*

(1)

(1) ; immo & ſacris initiati medicis eodem ſtringebantur juramento . Ita & Juvenalis iis bona precatur , qui Præceptores ſuos non minus , quam Parentes coluerint

. . . . *Dent* , inquit ,
Dii majorum umbris tenuem & ſine pondere terram ,
Spiranteſque crocos , & in urna perpetuum ver ,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco (2)

E contrario *officia non reddere viro bono non licet* , ajebat Princeps Oratorum Cicero (3) . *Ingratus ſum* , ad rem melius moralis Philoſophus Seneca (4) , *niſi illum* (ideſt Magiſtrum) *inter gratiſſimas neceſſitudines diligo* . Iis ex Præceptoribus , qui quam-

(1) Jusjurand.
(2) Satyr. VII.
(3) De Offic. lib. 1. cap. XIV.
(4) De Benef. lib. VI. cap. XVI.

Digitized by Google

quamplurimis in ſcriptis editis uſque adhuc nobiſcum vivunt, colloquuntur, noſtriſque inſtitutionibus famulantur, noſter ſane bis centum ſexaginta ſupra ſeptem & ultra abhinc annos Ferrariæ ortus eminet Antonius Muſa Braſavolus. Nonne ergo huic, tamquam communi omnium Parenti debitum amoris, ac officii munus, ne execrando ingrati animi crimine teneamur, perſolvendum? Nonne benefacta beneficiis rependenda? Si in eos, ut idem pronuntiavit Cicero (1), *quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt?* Quoties, ut verum fatear, hujus præſtantiſſimi Viri nomen a laudatis Viris celebrari audiebam, aut ejus ingentem ſcriptorum copiam mente intuebar, toties eum in primis ſuſpiciebam,

(1) De Offic. loc. cit.

Digitized by Google

bam, noſtræque Ferrarienſi Academiæ, quæ inter cæteros de eo gloriatur, gratulabar, & toties ipſe mecum corde volvebam, quemadmodum tanti Præceptoris, qui & meæ ſcriptis ſuis allaboravit inſtructioni, benemeritis gratiam publicam referrem. Ut autem a natura ita comparati ſumus, ut dum alicujus doctrinam, nominiſque admiramur celebritatem, ejuſdem etiam & ſtudia, & mores, & varios animi habitus inveſtigandi nos cupido ſubrepat, ita & a quadam interiori vi ad ejus cognoſcendam vitam moveri intelligebam. Quo fiebat, ut Majoribus noſtris, qui præclariſſimi Præceptoris, beneficiique quaſi dicam immemores nihil monumentis de eo mandarint, ſubiraſcerer, eorum ſaltem negligentiam æquo animo ferre non poſſem. Hinc meus ad ejus vitam literis conſignandam excitabatur animus, ut, dum eum quodammodo ab

Digitized by Google

interitu ita revocarem, aliquod mei erga illum grati animi ſpecimen darem; poſt mortem enim magnis hoc pacto vita redditur Viris, ut cecinit Horatius (1)

......incisa notis marmora publicis
Per quæ ſpiritus, & vita redit bonis
Poſt mortem Ducibus.

Quiſnam enim tam ingrato eſſet animo, qui iterum in vitam, eamque longe diuturniorem illos, quibus propriam debet, ſponte, & libenter, ſi poſſet, non reſtitueret? Non tamen me fugiebat ſalebroſum maxime eſſe, mores, naturam, ſtudia, ac uno verbo vitam illius, quem non noverimus, inveſtigare. Quum tamen Braſavoli opera a me ſæpe pervoluta ſatis materiæ ad vitam concinnandam ſuppeditare cognoverim, ſummopere, & ex animo ſum lætatus; atque hinc illinc multa excerpſi, in ordinem digeſſi,

(1) Lib. 4. Od. 8.

Digitized by Google

mihique ejus vita nata eſt. Hanc cum tibi mittere, Vir clariſſime, decreviſſem, meas forte pervenit ad manus Commentarium, quod antea non noveram, clariſſimi Hieronymi Baruffaldi Ferrarienſis in inſcriptionem anno MDCCIII Antonio Muſæ in noſtro Ferrarienſi Archilyceo poſitam. Commentarium, inquam, in quo aliqua ipſe congeſſerat, quæ & ego ex diligenti operum Braſavoli, ac aſſidua aliorum Auctorum lectione collegeram. Quid eſſem inde facturus hæſitabam quam maxime, ne Lector aliquis naſutior furti me inſimularet, quaſi alienis vigiliis, tamquam propriis, uti viderer; malluiſſemque mea ſupprimi, quam maledicis, ac conſpurcatis linguis calumniandi anſam ſuppeditare. At diutius rem pacatiuſque perpendens novi, Baruffaldum non ſua inventa, ſed ab Auctoribus hinc illinc excerpta attuliſſe (quæ & ego,

unde,

Digitized by Google

unde hauſiſſem ; adnotaſſem) neque Antonii Muſæ vitam condidiſſe, etſi eo in Commentario ſparſim de ejus præſertim virtutibus non pauca habeat. Immo cum in nonnullis ab ipſo Baruffaldo diſſentiam, variis rem aliter ſe habere argumentis demonſtrabo, multa ab eo ſilentio prætermiſſa aperiam, & abſolutam, quod neque ab eo, neque ab alio hactenus tentatum eſt, Antonii vitam dabo. Quæ a Baruffaldiano opere ſelegero, adnotare non præteribo, ne me putet Lector, nihil ab ipſius ſcripto profeciſſe, inconſulto velle jactare. Tali conſcriptam methodo juris publici facere decrevi, ut debitum erga ſummum Præceptorem amoris officium exſolvam, gratique animi (ſicuti virum bonum decet) florentiſſimæ Ferrarienſi Academiæ argumentum præbeam, cui omnes illius nunquam pœnitendæ culturæ, quam ex ea retuli,

 licet

Digitized by Google

licet exiguos, fructus reddere omni ope, atque opere mihi ſemper hæreditario debito enitendum eſt. Hyacinthus enim Anſelmus amantiſſimus Parens meus, Philoſophus, ac Medico-Chirurgus literariæ Reipublicæ non ignotus, fuit (ſicuti & ipſe, primis ab eo hauſtis rudimentis) in ea Academia educatus, jamque Anno MDCCXXXIV VII Cal. Decembris diebus extraordinariis Lector in ipſa licentiatus, in qua Ars noſtra *omnium præclariſſima* (1) ita emicuit ſemper, ut ex ea celeberrimi omni ævo ſcaturierint Medicinæ Profeſſores; *ſunt enim Ferrarienſes*, Amato Luſitano (2) teſte, *cœleſti quodam influxu favente, Medici doctiſſimi, ac rerum naturalium cognoſcendarum diligentiſſimi*. Immo quot in omni Scientiarum genere ex ea non eruperunt præſtantiſſimi Viri? *Ex hac Univerſitate Ferrarienſi noſtris*

(1) Hipp. De lege in princip.
(2) Comment. in Dioſcor. lib. IV. Enarr. 3. p. 374.

Digitized by Google

noſtris temporibus multi Philoſophi, ac Legum peritia eruditi Viri prodierunt excellentes, qui Patriæ ſuæ, ac familiæ ornamenta fuere, jam prodidit in ſuo Belgico Athenæo (1) Franciſcus Svvercius, omnibuſque in aliis facultatibus plurimos enumerat cœcus Adrienſis (2) Aloyſius Grotus, ac pene innumeros recenſet Ferrantes Borſetti Juris utriuſque Doctor, Illuſtriſſimæ Civitatis Ferrariæ a Secretis, Poeta lepidiſſimus, atque Hiſtoriæ almi Ferrariæ Gymnaſii Scriptor elegantiſſimus, qui Patriæ & Literatorum mœrore anno MDCCLXIV XIV Cal. Auguſti, hora undecima cum dimidio, die Jovis e vivis ſublatus eſt. Verum quid auctoritatibus opus eſt? Hoc ſatis ſuperque teſtatur maxima virtus tua, Vir doctiſſime, ac eruditio illa per totum literarium Orbem jam pervagata, qua ita omnes in tui

 admi-

(1) p. 63.
(2) Orat. 21. p. 129.

admirationem rapuiſti, ut ſinguli fateantur comparandum tecum vix eſſe aliquem. Hæc maxime me commovit, excitavit, incendit, ut ad Te, quem unum maximi facio, hunc de Vita Antonii Muſæ Commentarium meum darem, ut tuum de eo judicium, an in publicum prodire, an latere potius debeat, intelligerem. Narrantur primo in libro Antonii Muſæ in literaria palæſtra præclare acta. Alter ipſius vitæ curſum, ac mores exhibet. Ad extremum contra vulgatam de eo in aliquibus ſententiam Commentarii apologiam remittimus. Etſi in eo aliqua fortaſſe jejuna, & levia alicui videri poſſint, ſi tamen clariſſimos Viros ſpectent, & præſertim antiquiores, & præclara habenda ſunt, & merito recolenda. Narrantur autem omnia, non eo ſtyli nitore, atque elegantia, qua Tu, Vir præſtantiſſime, non dicam, in tuis concinnandis operibus uti aſſoles,

ſed

Digitized by Google

ſed neque ea, quæ Te quicquam poſſit legentem allicere, aut a nimia animi ſatietate recreare. Præ oculis tantum in ſcribendo mihi fuit veritas in dictis, quam ut ſartam tectamque ſervem ipſius Braſavoli teſtimoniis polliceor inſtiturum. Non ergo fucato elegantis ſermonis cultu, ſed ſolido veritatis ornatu, qua nihil in terris, vel pretioſius, vel optabilius eſt, ad Te, Vir eruditiſſime, Commentarius accedit. Quæ enim, notante Seneca (1), *veritati operam dat oratio, incompoſita debet eſſe, & ſimplex*. Interea graviora doctrinæ ſtudia, quibus maxima tui, & Patriæ cum gloria totus continenter diſtineris, nonnihil intermittere, haud renuas, velim, ut lucubrationi huic meæ, ſi per tempus licet, tantiſper vaces. Spero Te ſin minus operis venuſtatem, aut ordinem, animi tamen propoſitum probaturum,

(1) Epiſt. 40.

quo aliorum ſaltem utilitati conſulere ſtudui .Nos, teſte Seneca (1), *vivimus ad exempla*, & ita, ut etiam vitia clariſſimis Viris inſita, tamquam virtutum ſpecies non raro imitemur. Contractos Platonis humeros Familiares expreſſiſſe Plutarcus refert, quemadmodum & Ariſtotelis balbutientem linguam amici imitati ſunt (2). At ſi vis exemplorum eſt tanta, tam præclarum ad imitandum magnarum virtutum exemplar exhibiturus ſum, ut eo facile proficiant plurimi. Namque ut ait Terentius (3)

Inſpicere, tamquam in ſpeculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.

Atque utinam ex hoc virtutem ſinguli, verumque laborem diſcerent, & vitæ ſtudiorumque rationem ad ejus imi-

(1) Epiſt. 123.
(2) In lib. de dign. vèr. ami. ab adul.
(3) Adelph. Act. 3. Scen. 4.

Digitized by Google

imitationem componerent! Ita Deo O. M. accepti, humano generi utiles, nomen ſuum apud Poſteros æterna gloria donarent. Vale Ferrariæ decus, & me Tibi commendatum velle ſcias.

Dat. Mantuæ Calendis Martiis MDCCLXVII.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARII DISTRIBUTIO

LIBER PRIMUS.

§. I.

Antonii Muſæ ortus, ratio nominis, ingenium, & pueritia.

§. II.

Ejus ſtudia, & Præceptores.

§. III.

Publicus Dialecticæ Lector efficitur, & Doctoris laurea inſignitur.

§. IV.

Concluſiones, quas Ferrariæ, Patavii, Bononiæ defendit, exponuntur.

§. V.

Ejuſdem lucubrationes, poſtquam Lector evaſit.

§. VI.

Octo Annis Dialecticam legit. Edit ſcripta.

§. VII.

Herculis Eſtenſis Archiater, & Philoſophiæ Lector deſignatur. Varia ſcribit Philoſophica. Reformator Univerſitatis deligitur. Cum Hercule Galliam petit. Ibi acta.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

E Gallia redit, nubit, Alphonſo Duci medicinam cœpit facere. Cum eo familiariter agit, & Venetias proficiſcitur.

§. IX.

In Archiatrum confirmatur ab Hercule. Univerſitatis Reformator creatur. Herculis Ducis in illum amor, & liberalitas.

§. X.

De aceto ſcribit, de vino, de arborum medicina, & de citris epiſtolam.

§. XI.

Opus, cui inſcriptio eſt Examen ſimplicium Medicamentorum, exarat; quod Romam & Neapolim quum pergeret, ſecum Romæ imprimendum defert.

§. XII.

Hoc opus Lugdunum delatum recuditur. Argenterii de eo judicium.

§. XIII.

Aloyſius Mundella Braſavolum carpere conatur.

§. XIV.

Amatus Luſitanus Mundellæ refellit objecta. Andreæ Cæſalpini de Braſavolo judicium.

Digitized by Google

§. XV.

Peculiaris in Botanicam Antonii Muſæ amor.

§. XVI.

Typis committit tractatum de Æquali hominum natura, Examen Syruporum, dein Examen Catapotiorum.

§. XVII.

Roma & Neapoli in Patriam reverſus Aphoriſmos Hippocratis interpretatur.

§. XVIII.

Ejus in literis græcis peritia.

§. XIX.

Lucam adit. Pauli III Pontificis Archiater efficitur.

§. XX.

Ferrariam venit, libros de ratione victus in morbis acutis Hippocratis exponit, & de Vermium curatione. Juſſu Ducis libello de modo Juris dicendi exarato, ſcribit Examen omnium Electuariorum, pulverum, & confectionum catharticarum.

§. XXI.

Epidemicos Hippocratis libros publice interpretatur ſcribitque Commentaria in Prognoſtica.

§. XXII.

Digitized by Google

§. XXII.
Romam petit. Infortunia quæ ei obvenerunt, & terribilia inſomnia.

§. XXIII.
Plura opera evulgat.

LIBER ALTER.

§. I.
Antonii Muſæ ingenuitas in ſcriptis.

§. II.
Ejuſdem ad Artem amplificandam ſedulitas.

§. III.
Ejuſdem ab otio fuga.

§. IV.
Ejus mira in ſcribendo facilitas.

§. V.
Singularis in diſcipulos amor.

§. VI.
E tota Europa Auditores trahit.

§. VII.
In medicis quæſtionibus dirimendis Judex eligitur. Ejus in re medica auctoritas.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.
Multi Europæ Principes eum conſulunt.

§. IX.
Provinciæ ab eo petunt Medicum.

§. X.
Rerum domeſticarum curam Conjugi relinquit.

§. XI.
Ejus in Deum pietas.

§. XII.
Ejuſdem ſolicitudo in liberorum animos tum moribus, tum literis imbuendos.

§. XIII.
Naturam biliosſam immutat.

§. XIV.
Braſavoli modeſtia, & humanitas.

§. XV.
Ejus liberalitas.

§. XVI.
Antonii Muſæ ſtructura, & temperamentum.

§. XVII.
Ejuſdem vivendi norma.

Digitized by Google

§. XVIII.
Ejus obitus.

§. XIX.
Parentalia ejuſdem.

§. XX.
Referuntur inedita M. S. Ferrariæ aſſervata.

§. XXI.
Alia edere meditabatur.

§. XXII.
Traditur Elenchus Scriptorum Antonii Muſæ.

LIBER TERTIUS.

§. I.
Elogium renuntiatur in alma Ferrarienſi Univerſitate inſcriptum.

§. II.
Negatur Braſavolum Juriſconſultum fuiſſe.

§. III.
Aſſerta ejuſdem in S. Theologia laurea in dubium vocatur.

§. IV.
Nec Luca ſequutum Paulum III, nec Romæ apud eumdem extitiſſe contra Baruffaldum
pro-

Digitized by Google

probatur.

§. V.

An Leonis & Clementis Phyſicus a Conſiliis fuerit, ambigendum eſt.

§. VI.

De quolibet ſcibili diſputaſſe falſum oſtenditur.

§. VII.

Muſæ nomen a Franciſco I Galliarum Rege Braſavolo datum contra plures Scriptores negatur.

§. VIII.

Hieronymum Fratrem Antonii Muſæ ortum præceſſiſſe oppugnatur.

Digitized by Google

DE VITA

ANTONII MUSÆ BRASAVOLI

LIBER PRIMUS.

§. I.

Antonii Muſæ ortus, ratio nominis, ingenium, & pueritia.

IN ea Italiæ Urbe, quæ ad Padum jacet, quæque unicos in omni exercitationum genere, ut Aloyſii Groti cœci Adrienſis verbis (1) utar, procreat Viros, ac Ferraria nominatur, perantiquis etiam temporibus tum ſanguinis nobilitate, tum ſummarum dignitatum ſplendore clara fuit inter cæteras Braſavolorum familia. Comes Franciſcus, Hieronymi Braſavoli filius, Juris utriuſque Doctor (2), & Medicus do-

(1) Orazion. 21. p. 129.

(2) Ut patet ex ſui Doctoratus privilegio, rogitu Peregrini fil. Pauli Albertini Not. Ferrar. ſub die prima Julii 1490. Indic. VIII.

Digitized by Google

ctrina, & fama inſignis, *ac extra aleam Philoſophus* (1), imo in patrio Archilyceo extraordinariæ practicæ Lector (2), ducta in uxorem, poſt primæ obitum, Margarita Maggi clari generis (3) Brixienſis (4) fœmina, tres ex ea ſuſcepit filios, Antonium Muſam, Hieronymum, & Joannem Baptiſtam. Hic trium annorum puer vita defunctus eſt. Alter Philoſophiæ, ac Medicinæ laurea donatus hanc facultatem (5) publice docuit, atque anno MDXXVIII graſſante per totam Italiam miſerrima lue, annos quinque ſupra viginti natus magno Fratris mœrore diem obiit ſupremum (6). Solus itaque Antonius Muſa natu major ſuperſtes fuit, cujus de vita, ſcriptis, & meritis, quæ nobis fuerint comperta, literis mandare decrevimus. Hiſce ergo Parentibus, qui ad divi Antonii templum ha-

(1) Braſav. de Medic. cathart. quæ unicuiq. humori &c. p. 96. litt. C.
(2) Borſetti Hiſt. Stud. Ferrar. P. II. p. 86.
(3) Baruffaldi Coment. Stor. . . . . all' inſcrizione eretta nell'Almo Studio di Ferrara in memoria del famoſo Antonio Muſa Braſavoli p. 34 & 148.
(4) Braſav. Exam. ſimpl. Med. §. de lign. p. 427. Edit. Valgriſ. 1545.
(5) Id. de Med. Cathart. quæ &c. p. 96. litt. C.
(6) Id. Exam. Simpl. Med. p. 428.

Digitized by Google

habitabant (1), natus Antonius Muſa eſt decimo ſeptimo Calendas Februarias, hora noctis ſexta cum dimidio ante divi Antonii feſtum, anno a Chriſti ortu MD (2), Hercule hujus nominis primo Ferrariæ Duce II. Franciſcus Comes genitor Antonium Muſam appellari eum voluit, non ex diei feſti, templive divi Antonii proximitate, non ex ejus Proavi memoria, ut clariſſimus Baruffaldus (3) opinatur, ſed ut præſtantiſſimum Auguſti Medicum nomine non ſolum, verum etiam ſcientia, & celebritate (4) referre conaretur: Nec Patrem fefellit ſpes; Antonius enim Muſa adeo unus omnium maxime floruit, ut æternam ingenio ſuo famam condiderit: Imo Joanni Argenterio Haſtenſi Medico clariſſimo (5) *videtur id præſtitiſſe Antonius Muſa Medicus Ferrarienſis doctiſſimus, tanta profecto felicitate, ut non minori admiratione a nobis legi poſſit, quam olim a Galeno,*

(1) Id. Exam. Electuar. p. 16.
(2) Id. Exam. Simpl. Med. §. de lign. p. 428.
(3) Coment. cit. §. 2. p. 63.
(4) Braſav. Comment. in Aph. Hipp. & Gal. lib. 2. Aph. 52. p. 346. Item Exam. Simpl. Med. §. de Gumm. p. 471.
(5) Epiſt. nuncup. præmiſſ. Exam. Simpl. Med. Braſav. Lugdun. edit. 1538.

Digitized by Google

reliquiſque Græcis Medicis celebratus fuit antiquiſſimus ille Medicus Antonius Muſa, ut certiſſima conjectura ob ſtudiorum, animorumque ſimilitudinem, hunc ab illo emanaſſe exiſtimandum ſit. Ab ineunte ætate cæteros ingenio prævertens pueros ad nullum literarum genus ineptus acceſſerat, fulgebatque in eo mira virtutis indoles, ut adhuc puer, primis Grammaticæ rudimentis a Franciſco Bovio (1) Ferrarienſi Viro doctrina inſigni, feliciter hauſtis, humanioribus literis vacans clam noctu e lectulo exurgeret, animumque ſtudio, amicis noctis ſilentiis invitantibus, ſedulo intenderet. Dux ei tunc erat in hiſce literis Cælius Calcagninus (2) Ferrarienſis doctiſſimus. Comite Franciſco Patre jam vita functo, qui nobilem puerum ad bonas literas hortaretur, atque excitaret, exiſtebat nemo; quin Margarita Mater, quæ, uti Parentum mos eſt, nimio filiorum amore tenebatur, quum noctu a ſomno ſurgere comperiiſſet, ut ſtudiis operam daret ſuis, de ejus valetudine in primis timens, in dies magis conquerebatur, eumque acriter (3) objurgabat. Verum quod poſt mille com-

(1) Braſav. de Med. Cathar. quæ unicuiq. humor &c. p. 96. litt. D.
(2) Id. Exam. Simpl. Med. *§.* de fruct. p. 306.
(3) Id. Exam. Catap. p. 14.

Digitized by Google

comminationes ſtudium vix delibant pueri, id noſtro Antonio Muſæ ita arridebat, ut nec morbi timore, nec precibus, aut minis de ſuſcepto in ſcientias amore demoveri ſuſtineret, diurniſque, nocturniſque horis diſtributis, neque a negotiis, neque a ſtudiis feriatus eſſe deinceps ad extremum uſque vitæ ſuæ curſum unquam (1) voluerit.

§. II.

Ejus ſtudia, & Præceptores.

HUnc maxime in modum pueritia acta Clericus conſtitutus ad matutinas horas ſingulis diebus conveniebat. Muſicis quoque inſtitutionibus vacabat, ut ad omnia, quæ Clericum decent, munera exequenda ſe paratiorem redderet. Sed cum ſibi minime demandatas Sacerdotii partes intelligeret, eo primum ſtudia omnia convertit, ut immenſo Juris civilis, & canonici mari ſe committeret. Mox quum ad noſtram Medicam Artem magis magiſque illuſtrandam, augendamque Deus eum delegiſſet, hinc a Juris ſtudio divulſus ad liberalium, ut ajunt,

(1) Id. Ibid. p. 16.

Artium cognitionem, anno ætatis ſuæ quinto decimo exacto, magna animi contentione ſe contulit, in iiſque immoratus eſt. Audiebat tunc Braſavolus celeberrimum Virum Nicolaum Leonicenum Ferrariæ publicum Profeſſorem, de quo ipſe ait: *memini excellentiſſimum Virum Nicolaum Leonicenum mihi a primis Philoſophiæ rudimentis præceptorem* (1). Doctiſſimum etiam Ferrarienſem Joannem Manardum præceptorem habuit, ut colligere ex verbis ejuſdem Braſavoli licet; ſic enim de Manardo tradidit: *ſed pace dixerim tanti Viri, ac mei præceptoris* (2); & alibi: *Manardo nonnunquam præceptore uſus ſum* (3).

§. III.

Publicus Dialecticæ Lector efficitur, & Doctoris laurea inſignitur.

QUæ igitur a tantis Præceptoribus Ferrariæ tradebantur, celeriter arripiebat. Qua ex re trium annorum ſpatio ita profecit,

(1) Id. Exam. Cerat. p. m. 452. Item Exam. Simp. Med. p. 49., & 142. Edit. Valgriſ. 1545.
(2) Id. Exam. Simpl. Med. p. 25. Edit. Lugdun. 1537.
(3) Ibid. p. 321. Ed. Valgriſ.

Digitized by Google

cit, ut (1) diebus feſtis ad Dialecticam interpretandam, cum adhuc puer ætate eſſet, & ſcholaſticus, vocaretur. Attamen in docendis tractandiſque ſcientiis ſenilis quædam in Braſavolo maturitas apparuit, quæ tantam illi comparavit famam, ut vix octavo decimo ætatis ſuæ anno expleto in patrio Archilyceo publicus fuerit Dialecticæ Lector deſignatus (2). Subſequenti anno Artium, & Medicinæ inſignia adeptus eſt (3). Quo tempore viceſimus primus ſecundi libri aphoriſmus Hippocratis Λιμὸν θώρηξις λύει illi obtigit exponendus (4); & ita dicendi vi majorem in modum ingenii ſui laudem comprobavit, ut univerſa Academia tantam in

(1) Id. Exam. Catap. p. 14.

(2) Probatur ex ipſo Braſavolo, qui Comm. in Aph. Hipp. &c Præf. p. 1. ait: *nam octo annis in hoc almo Ferrarienſi gymnaſio Dialecticæ gyros interpretati ſumus. Deinde Philoſophiam novem annis*. Hæc ſcribebat Auctor ſtatim a Romæ & Neapolis reditu, ideſt initio anni MDXXXVI, ut clare (XVII) patebit. Ergo novem annis, & octo in cathedra aſcendenda jam ad totum Annum MDXXXV impendiſſe fatetur. Detractis ergo ab hoc anno MDXXXV novem & octo Magiſterii remanent decem & octo ætatis Braſavoli.

(3) Braſ. Exam. Catap. p. 14.

(4) Id. Comment. in Aph. Hipp. & Gal. &c. lib. 2. Aph. 21. p. m. 225.

Digitized by Google

uno homine doctrinam, tantumque mentis acumen ſatis admirari non poſſet. Elapſo anno, ideſt MDXX Medicam exercere Artem cœpit (1) tali profecto fortuna, tantaque ſcientiæ fama, ut magna cum omnium admiratione ad maximos honoris gradus, qui poſt multa in patriam collata beneficia Senioribus tantum demandantur, erectus fuerit.

§. IV.

Concluſiones, quas Ferrariæ, Patavii, Bononiæ defendit, exponuntur.

CEntenas concluſiones pridie Nonas Maii anno MDXX in patria Univerſitate vix annos viginti natus publice defendendas per triduum ſuſcepit publicus jam Logicæ Profeſſor, qui *turpe quidem* eſſe affirmabat *Doctori publice Logicam profitenti, ſi de omnibus ex inſperato quoquo modo reſpondere neſciat*: ideo hanc univerſalem ſub numero octogeſimo ſecundo ſtatuit in Dialectica *de quolibet*. Septimo Calendas Junii ejuſdem anni in Patavino Archigymnaſio, & XV Calen-

(1) Id. Exam. Simpl. Med. §. de Metall. p. 525. Valgriſ.

Digitized by Google

lendas Julii Bononiæ eaſdem ingenti omnium comprobatione propugnavit. Eas híc, licet a clariſſimo Baruffaldo (1) relatas, reſcribendas arbitramur. Non illud tantum Lectoribus noſtris gratum facturi, ut, quantum in ea ineunda diſceptatione inſudarit, intelligant, ſed & illud magis, ut, quantum præſens ab antiquo philoſophandi more diſtet, cognoſcant.

ANTONIUS BRASAVOLUS

FERRARIENSIS DOCTOR.

Has concluſiones in tribus gymnaſiis Ferrariæ, Patavii, & Bononiæ diſputabit: Die 6. 26. Maii, & 15. Junii 1520.

C. IN THEOLOGIA.

1 *Utrum intellectui noſtro Dei ſimplicitas, infinitaſque repugnet.*
2 *Utrum Viatori in hoc ſtatu altera (demptis phyſicis diſciplinis) neceſſaria ſit doctrina.*
3 *Etſi Dei potentia ſit infinita: ipſum poſſe contra-*

(1) Comment. cit. p. 121. e ſeg.

Digitized by Google

tradictoria: Divo Thomæ inhærentes: Negamus: Oppoſitum etiam probabiliter ſuſtentantes.

4 *Utrum in divinis ſpecies ſint.*

5 *Utrum Angeli ſint compoſiti.*

IN METAPHYSICA.

6 *Utrum Deus idem Metaphyſice ſubjectum ſit, quod a Græcis ſcopu dicitur. Ens vero in quantum, ens ipocimenon, vel utrorumque partes obtineat.*

7 *Utrum de ente reali ſolum in Metaphy. percurrerit Ariſtoteles.*

8 *Utrum Metaphyſica omnes alias ſibi Doctrinas ſubalternet.*

9 *Utrum Forma compoſito ſit præſtantior.*

10 *Utrum Materia quædam formam nobilitate præcedat.*

IN NATURALI PHILOSOPHIA,

11 *Utrum ratio formalis ſubjecti Philoſophiæ naturalis ſit mobilitas.*

12 *Utrum Divi Thomæ, & Scoti opiniones de primo cognito ſuſtentari poſſint.*

13 *Utrum Finiti corporis moles: ad terminum*

non

non numquam devenerit. Si finitas ab eodem particulas detrahamus.

14 *Utrum Antiquorum opiniones ab Ariſtotele primo Phy. poſitæ defendi poſſint.*

15 *Utrum Artificialia in naturalibus latitent.*

16 *Utrum Anima ſecundum Ariſt. mentem immortalis ſit.*

17 *Utrum in Alchimiſtarum ſenſu ſpecies tranſmutari invicem poſſint: quæ ſi mutantur dubitamus.*

18 *Utrum ex ſtercore aurum fieri poſſit.*

IN PLATONIS DOGMATE.

19 *Infernum atque Paradiſum Plato eſſe fatetur.*

20 *Purgatorium quoque ſecundum ipſum eſt.*

21 *In quo loco infernus: ibi Purgatorium ſecundum ipſum.*

22 *Animam quoque unam fatetur eodem modo fere quo Averroys.*

23 *Animæ de corpore in corpus ſecundum Platonem non migrant.*

24 *Et ſi ad hanc uſque diem interpretes dixerint Pla. noſtrum addiſcere, reminiſci eſſe voluiſſe, nobis tamen videtur ejus ſententiam eſſe de novo ſcientias accipere.*

25 *Decipiuntur qui Platonem de Trinitate loquutum eſſe opinantur.*

Digitized by Google

IN ARITHMETICA.

26 *Utrum diviſio qua numerus par: in pariter parem: impariter parem, & pariter imparem dividitur: Sit generis in ſpecies.*

27 *Utrum Pariter par numerus ab Unitatę procreetur.*

28 *Pariter paris proprium eſt ſi per ſectiones ad unitatem uſque proportionales dividatur: Et uno deſcribatur in loco: Si unum ad ei medium: id per ſe ſe multiplicatum reddit totum: ſi vero media duo ſint: & ipſa invicem collata reddunt totum.*

IN MUSICÆ THEORIA.

29 *Utrum unica: pluresque: Unico pulſu cordæ voces emittantur.*

30 *Utrum conſonantia vocum ſit diſſimilium in unum redacta concordia: vel ex ſimilibus fieri contigit.*

31 *Ea quæ ex malleis: a Boetio eſt confecta Muſica: Et ſi ratione conſiſtat: nunquam re ac ſenſu fieri poſſe deprehenditur, & ſiquidem concordia efficiatur illud Mallei pondus: aberrant.*

32 *Utrum Perfectam Semitonium Conſonantiam cum*

Digitized by Google

cum intercalari ſequenti, & altero tono profecerit.

IN PRACTICA MUSICÆ.

33 *Utrum exquiſitam reddiderint Conſonantiam per octo ſonorum gradus diſtantes voces tertia interveniente ab altera per diapente a reliquis per diateſſaron declinans.*

34 *Utrum canentibus in Choro Præsbyteris in emiolia proportione verſiculos: quos tamquam nulla fiat ſex qualtera tempora metiri poſſit proportionalia.*

35 *Qui Cantus quinque: ſex: pluribuſque cadunt vocibus: in alteris quatuor incidunt: vel ut quartam non exceſſerint: vel imperfecta ſit conſonantia, vel abſque artificio ſit cantus, vel ab humana voce promi non poſſunt: ex his tamen vituperandi non ſunt.*

36 *Utrum Muſica noſtri temporis media: & antiqua ſit facilior.*

IN GEOMETRIA.

37 *Utrum definitio puncti ab Euclide enarrata conveniat.*

38 *Utrum linea recta poſita: triangulum equilaterum collocare demonſtrative contingat: &*

ſi

Digitized by Google

ſi affirmativam partem aſſeruerit Euclides.

39 *Utrum circuli quadratura intellecta fuerit.*

40 *Nec punctum ut punctum eſt (ni per Analogiam) intelligi poſſe dubitamus.*

41 *Utrum Cubica figura abſque æqualitate partium eſſe poſſit.*

IN PROSPECTIVA.

42 *Eadem per quam res videmus: pyramis nonnunquam angulum habet acutum: nonnunquam obtuſum, nonnunquam rectum.*

43 *Radius acutus rem a .... * .... quantitate magis diſtantem reddit ſecundum .... * .... rectus: tertium obtuſus.*

44 *Utrum Pyramis eas dimenſiones habeat terminatas vel interminatas.*

45 *Dubium quomodo figuræ in Euclidis Tetragono naturaliter cauſentur.*

IN COSMOGRAPHIA.

46 *Terræ menſores vanum accipiunt fundamentum: metiri volentes perſpecto polo: quum montium non poſſint canonem habere.*

47

* verba a vetuſtate conſumta.

47 *Poſito trepidationis motu in Cœlis: ea perit Coſmographia.*

48 *Varia quum ſint: Centrum magnitudinis, ac gravitatis: Stante etiam polo: deficere non dubitamus.*

49 *Nec ſi in duas, & viginti partes terræ peripheriam dividamus, a quibus una auferatur, tertia pars relictarum terræ diametri quantitas erit.*

50 *Utrum eadem menſura utantur.*

IN ASTRONOMIA DE MOTIBUS.

51 *Utrum ſub Equinoctiali ſit habitatio.*

52 *Utrum in ſecundo, quartove Cœlo Sol eluceſcat, & ſi in quarto.*

COROLLARIUM.

53 *Utrum a Mercurio, vel Venere eclypſari contingat, ſeu magis lucide coaleſcat.*

54 *Utrum Cœli octo ſint, vel plures.*

55 *Alphrag. Ro. de Cœli rotunditate: quam Joannes adduxit vana eſt.*

56 *Argumentum Joannis, quo per guttas aquam probat Orbicularem, nihil concludit.*

IN

Digitized by Google

IN JUDICIARIA ASTRONOMIA.

57 *Utrum Planetæ hæc inferiora neceſſitent.*
58 *Utrum Errones magis: videlicet ipſorum aſpectus vigorem infundant, & ſi aſpectus nonnunquam Saturno in Scorpione, vel oppoſito in Horoſcopo aſcendente: bona de illo Criſis comprehendi poterit.*
59 *Utrum nonus Orbis figuris (ut ajunt) quibuſdam ſit inſperſus.*
60 *Utrum eadem hæc inferiora compeſcant.*

IN MEDICINÆ THEORICA.

61 *Utrum inter ſanitatem, & ægritudinem detur medium etiam ſecundum Galeni ſententiam.*
62 *Utrum Medicinæ evacuent e tota ſpecie.*
63 *Utrum per ſimilitudinem evacuent.*
64 *Utrum per proprietatem.*
65 *Utrum Praſſinea colera ex Vitellina per aduſtionem generetur, vel etiam ex humiditate fiat, quod nec Avicennæ repugnat.*
66 *Utrum ſint alii præter ſanguinem humores.*
67 *Subjectum Medicinæ eſt ægritudo.*

Digitized by Google

IN SIMPLICIUM MEDICINA.

68 *Quam in præſenti Brancam Urſinam dicunt: antiqui Achantum appellare.*
69 *Reibarbarum apud Græcos, & priſcos latinos, inter ſolutivas Medicinas non nominatur.*
70 *Paliurus eſt ea apud antiquos herba: quam nunc vulgo dicunt Calcatrepula.*
71 *Turbit noſtri temporis haud verum eſt Turbit.*

IN PRACTICA MEDICINA.

72 *Utrum ab eodem latere, vel diverſo phlebotomia fieri debeat.*
73 *Utrum in colerica febre, & Melancholica Phlebotomia conveniat.*
74 *Utrum ex ſimili quis ad ſanitatem reducatur.*
75 *Et ſi antiqui Medici ex oppoſito dixerint, non utiliter loquuntur.*
76 *Utrum Ičteritia ſit ægritudo, vel accidens.*
77 *Utrum ex pulſu febris cognoſci poſſit.*

IN CHIRURGIA.

78 *Utrum in vulnere labia conſuere melius ſit, vel altera (dempto acu) via colligare.*

Digitized by Google

79 *Utrum Medicamen vulneris nervorum ſiccum eſſe debeat, ut quarto quarti Avicennæ placet, vel humidum nonnunquam eſſe poſſit.*

80 *Utrum Os quandoque dislocari opus ſit, ut alterum collocetur.*

81 *Os fractum reſtitui impoſſibile eſt.*

IN DIALECTICA.

82 *Turpe quidem eſt Doctori publice Logicam profitenti ſi de omnibus ex inſperato quoquo modo reſpondere neſciat: ideo hanc univerſalem concluſionem adduxero.*

DE QUOLIBET

IN ARTE SOPHISTICA.

83 *Utrum omnia Sophiſtica argumenta ad Ariſtotelis fallacias, vel barbaram Grammaticam deduci poſſint.*

84 *Utrum peccata in materia Dialectico conveniant.*

85 *Si tu es ubique, tu non es ubique, igitur non es hic: nec has Concluſiones legis: conſequentiæ quidem optimæ.*

86 *Socrates poteſt deſinere eſſe fortes nihil deperdendo.*

IN

Digitized by Google

IN RHETORICA.

87 *Nec Entimema, neque exemplum: ut talia ad Rhetorem ſpectant.*

88 *Nullus eſt locus, qui Rhetoricus dici poſſit: Et ſi Marcus Cicero, Boetius, Themiſtocles ita appellarint: ni materialiter intellexerint: aberrarunt.*

89 *Tota Rhetoricæ vis in coloribus: hiſque conſiſtit: quum in Dialectica, ac Grammatica fundamenta ſumpſerit.*

90 *Sola pronunciatio eſt Rhetoricæ peculiare.*

91 *Argumenta fundata in loco a nota plerumque decipiunt.*

IN POETICA ARTE.

92 *Utrum Poeta aliqua ſpecie Argumentationis utatur.*

93 *Utrum Syllabarum tempus in ipſis naturaliter ſit.*

94 *Utrum magis congruum ſit, & longam, & brevem ſyllabam uno tempore inſigniri docere.*

95 *Utrum dictio, quæ plures habet pedes plura habeat tempora, vel unum.*

Digitized by Google

IN GRAMMATICA.

96 *Utrum Nomenclatura ad Grammaticos, vel potius Philoſophos ſpectet.*

97 *Omne Idioma, Arabicum, Caldeum, Hebræum, Græcum, Latinum, maternum, ſive non, Grammatica eſt.*

98 *Utrum Grammatica ante Logicam diſci debeat.*

99 *Utrum poſtpoſita præpoſitio, præpoſitio ſit.*

100 *Utrum magis deceat ſeptimum dari caſum, quam oppoſitum.*

§. V.

Ejuſdem lucubrationes, poſtquam Lector evaſit.

PRimos ſui ſtudii & adoleſcentiæ labores Deo Optimo Maximo devovere conſtituit. Vitam Jeſu Chriſti Servatoris italico ſermone conſcripſit, in qua paraphraſtæ more quatuor divini verbi Evangelicos Scriptores interpretatus eſt. In hoc doctiſſimo, nec tam brevi Dialogo, quem una cum Herculis II Ducis IV Ferrarienſium Sorore Eleonora, ac Venerabilis Monaſterii Corporis Domini Abbatiſſa texuit, ejus in ſacra Theologia

gia ad Angelici Doctoris mentem emicat doctrina, ut in originali Ferrariæ in Bibliotheca penes Fratres ex præclariſſima Dominicana familia videre eſt. Hoc vero argumentum (1) *ea lingua tractare inſtituit, ut familia ejus univerſa æqualem ex heri, & patris ſcriptis utilitatem perciperet, bene ac fideliter chriſtianam religionem indueret*. Conſcripſit quoque, non ad Annam Eſtenſem, ut Comes Mazzuchelius opinatus eſt, ſed ad Eleonoram Alphonſi Ferrarienſium Principis filiam Dialogum illum, cujus inſcriptio eſt: *Quod mors nemini placeat*. Hunc typis mandavit, *cum certo ſciret* (2) *eum, qui mortem contemneret, aliiſque mortem contemnendam ſuaderet, haud vulgarem ex philoſophia fructum percepiſſe, maximaque laude dignum eſſe*. Erat enim Eleonora *hujus philoſophicæ ſententiæ, ut mortem quæ terribilium omnium ultimum eſt, fortiter contemnere ſe profiteretur*. Editus fuit hic Dialogus, notante clariſs. Comite Mazzuchelio (3), Lugduni per Sebaſtianum Gryphium MDXLIII in 8. Nectitur etiam *Examini Em-*

(1) Jacob. Ant. Bonus in Præf. appoſita Indici in Galen. Braſav.

(2) Id. Ibid.

(3) Scrittor. d'Ital. Vol. 2. Part. 4. p. 2026.

Digitized by Google

plaſtrorum. Deinde *ut ſtylum exerceret (ita ut ſit) Muricis encomium, quaſi ludum luſit, ne quod otii a negotiis ſuffurabatur, inutiliter contereret* (1), quod *Unguentorum Examini* præmiſſum legitur. Scripſit etiam *de Cœna & Prandio* tractatulum, qui *Examen Trochiſcorum* præit; quod argumentum, ut ait Jacobus Antonius Bonus publicus Ferrarienſis Lector (2), *in inſtituenda victus ratione, tum ad morbum depellendum non mediocriter conducit*. Item cum Illuſtriſſimæ Victoriæ Piſcariæ Marchioniſſæ (3) medicinam faceret, Marinus Vir doctiſſimus Ferrarienſem aerem, & natale Cœlum reprehendebat, eamque, ut alio ſalubriorem hauriret aerem, Ferraria diſcedere hortabatur. Quam ob rem patrii Cœli temperie accurate obſervata *De Ferrarienſi aere* libellum feliciter, ut Marino ſatisfaceret, literis conſignavit, quaſi alter Hippocrates (ut idem Bonus tradidit), qui cum anni tempora, ac Cœli ſtatus apud Thaſios exegiſſet, non modo Thaſiis profuit, ſed Illyricos a graviſſima peſte liberavit. Obſervatio ſane ad prædictiones utiliſſima.

VI.

(1) Bonus loc. cit.
(2) loc. cit.
(3) Braſ. Exam. Looch p. 5.

§. VI.

Octo Annis Dialecticam legit. Edit ſcripta.

OCto annis Dialecticam publice edocuit (1), atque ad eam magis magiſque illuſtrandam eo tempore totum ſe contulit. Itaque Orationem exaravit.

De Laudibus Dialecticæ, ubi de ejus præſtantia, utilitate, ac neceſſitate diſſeruit (2).

De ordine librorum Logicæ.

De ſuppoſitionibus ſecundum Antiquos.

Commentaria in Paulum Venetum.

Commentaria in Porphyrium Phœnicem.

Porphyrii Panoplia, in qua defenditur Auctor ab iis, qui ex profeſſo illum reprehendunt.

Commentaria in Predicamenta Ariſtotelis Stagyritæ.

in librum de Interpretatione.

in Poſteriora Analytica.

Quoniam vero has omnes (3) lucubrationes demortuus Auctor anecdotas reliquit, ita

(1) Id. Præf. ad Comment. Aph. Hipp. & Gal. &c. p. 1.

(2) Id. Exam. Looch &c. de Infuſ. p. 113.

(3) Bonus loc. cit.

ita hæ cum ab una in alias deveniſſent manus magno literariæ Reipublicæ detrimento forſitan deperiere. Ad Poſteros tamen pervenerunt *in Anitii Manlii Severini Boetii de diviſionibus Opuſculum Commentaria, Hieronymo Moroſino Nobili Veneto dicata*: prodierunt enim per Magiſtrum Jacobum Pontium de Lencho VII Idus Aprilis anni MDXXIV in 8. Præter hæc a Bono relata, alia extant opera a Baruffaldo recenſita (1) facile a Bono prætermiſſa. Hæc ſunt

Univerſalia, & liber de re Philoſophica differens in fol.

Interpretationes in Porphyrii Iſagogas, vel quinque voces.

Prior, me fugit, an fuerit typis evulgatus. Alter, Scholaſtico quodam curante, editus fuit. At quum nil tale cogitans Auctor tum Impreſſoris, tum pravi exemplaris vitio (2) plura legiſſet errata, quam verba, mendoſam correxit editionem, purgavit, rurſuſque Ferrariæ apud Franciſcum de Rubeis de Valentia MDXXX in fol. evulgavit.

§. VII.

(1) Comment. Iſtor. cit. p. 137.
(2) Braſav. Exam. Simpl. Med. p. 327.

§. VII.

Herculis Eſtenſis Archiater, & Philoſophiæ Lector deſignatur. Varia ſcribit Philoſophica. Reformator Univerſitatis deligitur. Cum Hercule Galliam petit. Ibi acta.

IN dies ergo ingenii, atque doctrinæ ſuæ fama apud omnes celebrabatur. Quo factum eſt, ut anno a Virgineo partu MDXXV, ætatis quoque ſuæ XXV, in Archiatrum Herculis II Eſtenſis, Alphonſi I Ferrariæ Ducis III primogeniti fuerit deſignatus. Inſequenti anno jam exacto, quo implebatur octavus in Dialecticæ gyrorum publica interpretatione ab eo impenſus, ad Philoſophiæ naturalis exponendæ munus delectus eſt, eamque novem annos (1) expoſuit. Hoc ipſo tempore ſcriptis conſignavit *in libellum Averois de Subſtantia Orbis inſcriptum Juveniles Exercitationes*, quas Illuſtriſs. & Excellentiſs. Friderico Gonzagæ Mantuæ Duci nuncupatas, typiſque mandatas denunciat Baruffaldus (2). Ve-

(1) Id. Comment. in Aph. Hipp. & Gal. &c. Præf. p. 1.
(2) Comment. Iſtor. cit. p. 139.

Verum clariſſimus Joannes Andreas Barotti, optimarum literarum cultor eximius, nunquam fuiſſe hoc opus prælo commiſſum, me pro ſua ſingulari humanitate admonuit. Apud eruditiſſimum hunc Virum harum Exercitationum exemplar Illuſtriſs. & Excellentiſs. Franciſco Gonzagæ Mantuæ Duci, Friderici filio dicatum ſervatur, ipſeque literis ad me datis ſignificavit, in exemplaris (quod paginis quingentis circiter in fol. continetur) nuncupatoria Braſavolum fateri, ſe ex juvenilibus lucubrationibus ſuis hæc Commentaria Patri ejus Friderico nuncupanda excerpſiſſe; *at cum impia fata* (Braſavoli verba) *illum nobis furto ſurripuerint, & tam properanter, ut vix expirare potuerit, tibi, o puer Illuſtriſſime, macte virtute totius ditionis hæredi, loco inviƈtiſſimi patris hunc noſtrum laborem dicamus, atque devovemus, ut una ſis hæres ditionis, & patris ſchematum*. Patet ergo nunquam Friderico Commentaria fuiſſe oblata, neque ante hujus obitum, qui *viceſima octava Junii milleſimi quingenteſimi quadrageſimi* (1) contigit, evulgata. Extincto dein Friderico an hæc in lucem prodierint aſſiduam doctiſſimi

(1) Poſſevinus: Gonzaga lib. 7. p. 736.

Digitized by Google

ſimi Barotti (quem ſemper honoris cauſſa nomino) in inveſtigando diligentiam fugit. Item *Commentaria in libros Phyſicorum Ariſtotelis*, & *Commentaria in libros de Anima* literis tradidit. Verum, cum hæc a me nullibi inveniri potuerint, valde dubito, an typis unquam mandata fuerint. Quod ad Commentaria *in libros de Anima* ſpectat, Lectori præſtare tantum poſſumus, eadem, ac ſi juris fuiſſent publici, Braſavolum hiſce verbis citaſſe: *Sed hæc a nobis longius in noſtris libri de Anima commentariis pertractata ſunt* (1). Ob tot aſſiduos cum in docendo tum in ſcribendo labores, ut ad illuſtrem Reformatoris Ferrarienſis Archigymnaſii dignitatem eveheretur, meritus eſt. Ex publicis annui cenſus libris in iſto fuiſſe dignitatis gradu collocatum anno MDXXVII compertum habuit Baruffaldus (2); ibi enim dignitatis cauſſa tributo annuo ſolutus declaratur. At cum Hercules, ut Renatam Regis Ludovici duodecimi filiam (quæ Franciſci primi Galliarum Regis glos erat (3), non nepos, uti Ba-

(1) Braſ. Comment. in Aph. Hipp. & Gal. &c. lib. 2. aph. 6. p. 146.

(2) Comment. Iſtor. cit. p. 97.

(3) Muratori Annal. T. X. p. 214. & 226. Item Vinc. Bellini Delle Monete di Ferrar. p. 187.

Digitized by Google

Baruffaldus (1) refert) conjugio ſibi jungeret Anno MDXXVIII vel Nonis vel poſtridie Nonas Aprilis Galliam petiiſſet, Braſavolus pariter ad tuendam ejus valetudinem magno cum Nobilium cœtu eum (2) comitatus eſt. Pariſiis exceptus a fortuna ſibi oblatam ſui nominis amplificandi occaſionem noluit præterlabi. Ibi literis multorum eſt memoriæ traditum, relatis (IV) centum concluſionibus hanc quoque contra præſtantiſſimorum illius Academiæ Virorum objecta *Quidquid dixit Galenus bene dixit* adjeciſſe, ſciteque omnibus admirantibus per triduum in celeberrima illa Academia propugnaſſe. Quo factum eſt, ut Rex Franciſcus primus, Scientiarum protector maximus, atque Literatorum Mæcenas liberaliſſimus, tum publice tum privatim diſputantem Braſavolum admiratus, ejuſque miram in Medicina exercenda, cum ipſe ægrotaret, peritiam, ſingularis ſuæ erga ipſum benevolentiæ, atque exiſtimationis ſigno, præter alia pretioſa munera, ut tribus aureis liliis gentilitium ejus ſymbolum diſtingueret, donarit liberaliter.

Ad

(1) Comment. Iſtor. cit. p. 49.
(2) Braſav. Exam. Catap. p. 14. Item Exam. Simpl. Med. §. de gumm. p. 511.

Digitized by Google

Ad hæc tempora idem Chriſtianiſſimus Rex, eximia tanti Viri doctrina, familiæque nobilitate perſpecta, illum Sancti Michaelis in Galliis Equitem creavit: hinc pictas ejus imagines aureo Divi Michaelis, ut ajunt, ordine decoratas conſpicimus. Ipſos quoque Sorbonici Athenæi Doctores, ut ſuam de clariſſimi Ferrarienſis doctrina opinionem palam facerent, in ſuorum Sodalium numero recenſeri juſſiſſe Auctor Inſcriptionis in Ferrarienſi Archigymnaſio memoriæ Braſavoli affixæ, & Baruffaldus perhibent; quin imo poſtremus hic Scriptor aſſociationis diem aſſignat, ut ex Actis, & ex authenticis, ait, ſatis patet memoriis. Verum aliquem hanc in rem obrepſiſſe errorem, dicendum eſt; ſub illa enim deſcripti anni die relatum mihi eſt, fruſtra in Sorbonicis actis Braſavoli nomen conquiſitum eſſe: curavi autem, ut Academiæ illius acta diligenter inveſtigarentur. Extra tamen dubitationis aleam eſt, eo tempore doctioribus Pariſienſibus ejus doctrina devictis in primis carum fuiſſe. Inter eos magnæ famæ Virum Ruellium notat ipſe Antonius Muſa (1). Cum hoc tantam ille inivit amicitiam, ut plerumque prandio excipe-

(1) Id. Exam. ſimpl. Med. p. 10.

ciperetur, qui nonnunquam Ruellium invitabat viciſſim. Quorum multos de Braſavolo verba facientes frequenter inveni, & Inſcriptio memorata aperte aſſerit, Antonium Muſam, *Muſæ* nomine, quaſi in eo, uti ait Libanorius, omnis Muſarum adeſſet chorus, a Franciſco Galliarum Rege donatum fuiſſe. Quod quam verum cenſendum ſit, licet maximam Gallorum erga eum benevolentiam comprobare poſſit, modo non dicam. Ad operis hujus calcem rem melius explanabo.

§. VIII.

E Gallia redit, nubit, Alphonſo Duci medicinam cœpit facere. Cum eo familiariter agit, & Venetias proficiſcitur.

TAntis honoribus, tantiſque auctus muneribus eodem anno pridie Cal. Decembris Herculem ſecutus e Gallia in Patriam Noſter Ferrarienſis demigravit. Protinus nupſit (1) Caſſandræ (2) Ferrarienſi (3), præſtantiſſimi Hieronymi de Robertis

(1) Id. Exam. Catap. p. 14.
(2) Id. Exam. Syrup. p. 15.
(3) Id. ibid. p. 10.

Digitized by Google

tis (1) filiæ. Ex hac nono elapſo menſe (2) filium, & deinceps alios quinque procreavit maſculos, fœminas octo. Hos omnes proprio nomine ipſe recenſet (3), ſcilicet Renatum, Herculem, Hieronymum, Franciſcum, Joannem Franciſcum, & Hyppolitum, puellas Margaretam, Eleonoram, Lucretiam, Bernardinam, Lauram, Eleonoram alteram, & alteram Lauram, atque Violantem; imo ex his undecim vitam egiſſe anno MDXLV eodem loco teſtatur; atque ob tot librorum copiam *ſum*, ſubdit ipſe, *immunis, & amplo privilegio me decoravit Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Hercules Dux Ferrariæ quartus*. Ferrariam ergo reſtituto ſumma cum expectatione, & fama Antonio Muſa, per Urbem de ſcientiſſime ab eo in Gallia actis unus erat omnibus ſermo. Itaque peculiaris ſapientiæ beneficio omnes ſibi ita devinxit Cives, ut omnium in eum oculi converterentur, neque ei alius in Civitate compararetur. Quo factum eſt, ut Alphonſo Duci, non Herculi tantum, cœperit, me judice, medicinam face-

ce-

(1) Id Exam. ſimpl. Med. §. de lign. p. 428. Valgriſ.

(2) *Id.* Exam. Syrup. p. 14.

(3) Id. Exam. ſimpl. Med. §. de lign. p. 428.

Digitized by Google

cere. Nos teſtimonio ſuo Braſavolus facit certiores, Alphonſum nempe Ducem, laterali morbo ex pituita correptum, priſtinæ ſanitati donaſſe (1), quem dein ſub ejus cura obiiſſe indubium quoque eſt; hæc enim profert (2): *Nos Illuſtriſſimum Alphonſum Ferrariæ Ducem in cura habuimus, in cujus ventriculo tuberculum diſruptum eſt .... & ſecunda die a diſruptione mortem*. Quam vero familiariter Braſavolus cum Alphonſo ageret, non ut ſubditus cum Domino ſolet, ſed intrinſeci alicujus more, Venetiis maxime patuit. Cum illuc, neſcio quo anno, profecti eſſent una cum divino Ludovico Areoſto, cymbamque cum Magnifico Catharino Zeno conſcendiſſent, juſſit Dux remiges Caſtellorum portu exire, atque in altum provehi. Dux & Zenus in puppi ſedebant, Areoſtus & Braſavolus tenebant proram. Vix duorum milliariorum ſpatio a littore aberant, cum conqueri cœperunt nautæ, aerem nimis refrigeſcere (3), proxi-

(1) Id. Comment. in Aph. &c. lib. 6. aph. 33. p. 977.

(2) Id. ibid. lib. 7. aph. 8. p. 1043.

(3) Nauticam vocem Venetorum vernaculo ſermone ita exhibet Braſavolus *el ſe refreſca maſſa*. De Med. purgant. p. 9., quo loco hæc omnia ab eodem narrantur.

Digitized by Google

ximæ tempeſtatis ſignum. Ad portum regredi exclamat Dux; at invaleſcente vento undæ interim intumeſcere, agitari, in cymbam fluctus jacere cœperunt. Nautæ per tranſverſum undas prora ſecant, quæ carinam percutientes in altum elevabant, dumque frangerentur, partim navim ingrediebantur, partim in Braſavoli faciem impingebant; nullus enim dabatur locus, in quem progredi poſſet. Jamque ſe minime naufragium fugere poſſe arbitrabatur, cogitabatque, ſi navis ſubmergeretur, ſe ſupra Ducis dorſum jactare, illique tenaciter inhærere, ut cum eo ſalvus evaderet, vel ſuffocaretur. Hoc autem conſilii capere ſtatuerat, ſciens Alphonſum Ducem facillime, uti piſcem, enatare. Jamque pedem unum ex una tranſtrorum parte, alterum ex alia poſuerat, ut illum poſſet liberius aggredi. Sed Deo dante Muranum, ubi tunc Dux habitabat, pervenerunt. Tum Dux Braſavolum marina aqua fluentem irridere aggreſſus eſt, qui & ex illa non parce biberat. Nam cum fractæ undæ faciem attingebant, inſpirabat vehementer, eaſque invitus exſorbebat. Quum ſe vero jactaret Dux, ſi navicula obrueretur, ad litus libere enataturum; id feciſſes quidem, reſpondit Braſavolus, ſi permiſiſſem.

Digitized by Google

Cur non facerem, ille interrogat. Quia, reſpondet, cum in una tua natandi dexteritate, & facilitate mortis evitandæ ſpem conjeciſſem, te procul dubio per collum apprehendens, dorſoque tuo inſiliens fortunam tecum tuam experiri decreveram. Tum oſtenſo pugione, quem lateri Dux ſuſpenſum tenebat, manus tibi, inquit, incidiſſem, & enataſſem. At cum te cruribus meis complexus eſſem, ſubdit Braſavolus, pugionis evaginandi commodum eripuiſſem, atque ita in riſum controverſia ſoluta eſt. Vide familiarem Viri licentiam, ſummamque in eum Ducis benignitatem. Pugionem illum poſtea dono accepit ab Hercule Duce IV, cum eum Romam comitaretur anno MDL. At Braſavolus, ea aquarum illuvie, in ventriculi perturbationem incidit, alvique profluvium per octo dierum ſpatium ita paſſus eſt, ut vix aliquid edere poſſet. Nec modo tanta apud eum florebat gratia, ſed & auctoritate valebat plurimum, atque adeo, ut Dux ipſe filium ſuum parvulum Alphonſum in extremum vitæ adductus diſcrimen non ſemel ei commendaverit (1). Promiſſa item,

quæ,

(1) Id. Epiſt. nuncup. ad Alphonſ. Eſtenſ. præmiſs. Exam. Catap. p. 3.

Digitized by Google

quæ, dum ultimo Dux Alphonſus tenebatur morbo, Braſavolo, utpote Botanicæ cultori ſolertiſſimo, fecerat, ſummam Ducis in eum benevolentiam confirmant: *Mi Antoni, ſi a præſenti ægritudine evadam, ingens viridarium tibi decrevi, & nuntios, quorſum juſſeris, mittam, ut herbæ, quæ apud nos non ſunt, afferantur.* (1).

§. IX.

In Archiatrum confirmatur ab Hercule. Univerſitatis Reformator creatur. Herculis Ducis in illum amor, & liberalitas.

MOrte interim deleto pridie Cal. Novembris hora ſexta noctis, ſexta decima horæ parte dempta (2) anno MDXXXIV Alphonſo Duce, Hercules, cui ſumma imperii delata eſt, magna Civium exultatione, & plauſu die omnium Sanctorum feſto ejuſdem anni Dux ſalutatus (3) Antonium Muſam peculiari Diplomate in Archiatrum ſuum confirmavit; hinc perpetuum in almo Archi-

C 2 gym-

(1) Id. Exam. ſimpl. Med. p. 59.
(2) Id. ibid. 594.
(3) Id. ibid. p. 595.

Digitized by Google

gymnaſio Reformatoris obivit munus: *Principi* enim *medendi provincia eam quoque dignitatem ſecum ducit, quæ te Ferrarienſis Academiæ ex altera parte Principem, ac Moderatorem efficit, ut in uno munere decernendo duas dignitates ſis adeptus*, ſcribebat Renato Braſavolo Bartholomæus Riccius (1). Hac ille in dignitate conſtitutus re ipſa in *memoriali* proximi inſurgentis anni MDXXXV legitur a Ferrante Borſetti (2); eamque illi merito, ceſſiſſe Jacobus Antonius Bonus anno circiter MDL gratulabatur: *In Ferrarienſi Academia cui multos abhinc annos merito præfectus eſt* (3). Anno quoque MDLV, cum de doctiſſima Jeſu Societate in Galliarum Regno primo admittenda, ſtabiliendaque ageretur, Academiæ noſtræ duo ſupra triginta Magiſtri in Divi Romani templo coacti ſolemne in Societatis comprobationem teſtimonium ſanxerunt, quod, Hercule Duce curante, Sorbonæ Theologis redditum apud illos tantum valuit, ut in Gallias fuerunt Religioſiſſimi Patres acciti. Braſavolo Reformatori onus ab Duce impoſitum fuit, ut

Uni-

(1) Epiſtol. lib. v. epiſt. 31.
(2) Hiſt. Alm. ſtud Ferr. P. I. Lib. II. p. 185.
(3) Præf. ad Indic. Galen. cit.

Digitized by Google

Univerſitatis Lectores, quod ſui juris erat, convocaret, ut affirmat P. Daniel Bartoli ejuſdem Societatis Scriptor eximius (1). Archiatrum adeo, tamque diligenter Hercules coluit, ut pluries (2) ſecum prandendi ei copiam fecerit, eumque ſumma ſibi familiaritate devinxerit: quare jure & merito affirmare Braſavolus poterat: *Ego teſtis ſum optimus, qui intimam habui cum Illuſtriſſimo Alphonſo conſuetudinem, & quam nunc habeam cum Illuſtriſſimo Hercule patrono meo nullus ignorat* (3): Ea autem hujuſmodi erat, ut tamquam Pater ab Hercule habebatur. Quod adeo cuique apertum fuit, ut quum Hieronymus Antonii Muſæ filius *Examen omnium Sief, ideſt Collyriorum* a Patre conſcriptum eidem Duci dedicaret, *impulit vero*, ait, *tua in Patrem meum benevolentia, nam (ut audivi) illum non ut trivialem quempiam amas, ſed diligis, colis, ac uti Patrem obſervas*. Tandem præter alia amplo prædio, quod *Novi* dicebatur, in Carpenſi agro anno circiter MDXXXV eum donavit, de quo ita ſibi plaudebat, ut *deinceps nec ſuccidia, nec panis (ut Ciceronis parœmia utar)*

C 3 *deeſſe*

(1) Italia lib. 3. cap. 11.

(2) Braſav. De Ord. ac modo Jur. dicend. in princip. Item p. m. 700.

(3) Id. Exam. Electuar. p. 34.

deeſſe poſſit (1). Ejuſdem prædii fructus per Mantuanam ditionem ab omni vectigalis onere immunes Ferrariam aſportari poterant ex privilegio Friderici II Mantuæ Ducis Antonio Muſæ Idibus Julii anno MDXXXIX dato, quod anno MDXLIII ab Vincentio confirmatum in Mantuano Tabulario legitur. In quo tot ipſius prædii proventus adnumerantur, ut Braſavolo obſonia etiam & veſtes abunde poſſent ſuppeditare.

§. X.

De aceto ſcribit, de vino, de arborum medicina, & de citris epiſtolam.

QUamvis Philoſophiæ naturalis Lector (VII) diſcipulos quotidianis lectionibus inſtrueret ſuos, & tot ægrorum curis implicaretur, ut illi *ſingulis annis quingenti ſupra mille ægrotantes*, Amato Luſitano teſte (2), ſubjicerentur, non his (V ad VII) tamen laboribus contentus fuit. Libellum ſcripſit

(1) Id. Exam. ſimpl. Med. §. de liquid. ſucc. p. 430.
(2) Comment. in Dioſcor. lib. 3. Enarr. 12. p. 293.

Digitized by Google

pſit *de Aceto illuſtri Julio Taſſoni Duci ſtrenuiſſimo* datum. In eo varia aceti genera, ejuſque qualitates explicat, quibus fiat modis exponit, & quomodo brevi acerrimum evadat, explanat (1). Tractatum quoque *de Vino Illuſtriſſimo Alphonſo Duci Ferrariæ* dicatum ſcriptis mandavit (2). Hic docet, quæ ſapidiora apud antiquos vina haberentur, quæque eorum diverſæ eſſent ſpecies, quibus ætatibus iis utendum, quomodo & quando degenerant, & de optimis ſui temporis vinis, deque medicatis diſſerit, pharmacopolaſque inſtituit, quæ ex illis in officina ſint aſſervanda. Librum etiam *de Arborum medicina* exaraviſſe ex ipſo conſtat; nam de Citris ad Sereniſſimos Principes Herculem Eſtenſem, & Renatam Gallam Ferrariæ Duces cum verba faceret, hæc habuit: *Denique hujus arboris morbos, & remedia hic opus eſſet afferre, niſi ſatis ſuperque in noſtro* de arborum medicina *libro illa tractaviſſemus* (3). At quoniam de Citris mentio incidit, ea hic eſt commemoranda epiſtola, quam adhuc adoleſcens ad Illuſtriſſi-

(1) Braſav. Exam ſimpl. M. §. de liquid. ſucc. p. 430.
(2) Id. ibid. p. 429. & ſeq.
(3) Epiſt. nuncup. præmiſs. Exam. ſimpl. Med.

Digitized by Google

ſimum Hippolitum Eſtenſem, Mediolani Archiepiſcopum, ac dein S. R. E. Cardinalem *de Citris* dederat, quamque excuſam ex eo putamus, quod Antonius Muſa de his fructibus agens exoptat, eamdem *pro hac re legere ne pigeat* (1). Etſi autem, ut ſuperiora opuſcula mihi compararem, ac legerem, fruſtra vias omnes ſim perſecutus, ex nuncupationibus tamen, quas geſtant, prælo credo ſubjecta.

§. XI.

Opus, cui inſcriptio eſt Examen ſimplicium Medicamentorum, exarat; quod Romam & Neapolim quum pergeret, ſecum Romæ imprimendum defert.

ERat Medicorum pene omnium ſuæ tempeſtatis ſententia, eaque humano generi pernicioſiſſima, inſigni Medico indecorum eſſe, ſimplicia medicamenta de facie noſſe, illa ſæpe tractare, a falſis vera, ab adulteratis legitima diſcernere. Quo fiebat, ut in Seplaſiarios, Pharmacopolaſque, homines litera-

rum

(1) Exam. ſimpl. Med. p. 325. De hac epiſtola etiam loquitur in nuncup.

rum ignaros, hoc rejiceretur munus. Eadem de re Leonardus Fuchſius conquerebatur (1). Hoc autem onus & honorificum & Medico perneceſſarium cum non ignoraret Ferrarienſis noſter, atque non niſi exacta medicamentorum ſimplicium notitia medicinas componere, & compoſitis recte uti quemquam poſſe, ſciret, tantum mortalium detrimentum ferre nequivit, & arrepto calamo anno circiter MDXXXIV (2) literis mandavit *Examen omnium ſimplicium medicamentorum, quorum in officinis uſus eſt*. Hoc in tractatu omnia ſimplicia medicamenta, quorum apud Ferrarienſes publicus erat uſus, ſolertiſſime perpenduntur, ne ægroti aut decipi, aut lædi poſſent; in eo enim, Jacobo Antonio Bono (3) affirmante, multos errores emendavit primus, multa ab aliis intacta primus edocuit. Inſequenti anno, quum Herculem Ducem Romam ad Paulum tertium Pontificem Maximum & Neapolim ad Carolum quintum Imperatorem comitaretur (4) proficiſcentem, ut

(1) Paradox. Med. lib. 1. Proem.
(2) Braſav Exam. ſimpl. Med. p. 428. ubi hæc habet: *Nunc trigeſimum quartum annum implevi*.
(3) In Præf. appoſita Indic. in Gal. libr. Braſav.
(4) Braſav. Comment. in Aph. Hipp. &c. Præf. p. 1.

ut dicemus, ad Typographum opus detulit (1) imprimendum, atque Herculi Eſtenſi, & Renatæ Gallæ Ferrariæ Ducibus dicatum in fol. dedit Romæ impenſis, & laboribus Antonii Bladi de Aſula anno a Chriſti nativitate MDXXXVI Menſe Majo.

§. XII.

Hoc opus Lugdunum delatum recuditur. Argenterii de eo judicium.

UNicum hujus præſtantiſſimi operis exemplar menſe ultimo ejuſdem anni fuit Lugdunum (2) ab Urbe delatum. Quum Joannes Argenterius (I) doctiſſimus Vir utiliſſimum, quod ab omnibus legeretur, judicaret, minime paſſus eſt, ut alii eo diu carerent, ac ſtatim recudendum curavit, ut, (3), *in univerſam noſtram Galliam, Germaniam, aliaſque omnes gentes, quæ ab hujuſcemodi literarum ſtudiis non abhorrent, prodiret*. Lugduni igitur apud Joannem, & Franciſcum Frel-

(1) Bladus typographus in nuncup. R. P. D. Chriſtophoro Jacobat. Epiſcop. præmiſs. edit. Rom.
(2) Epiſt. nuncup. præmiſſ. Exam. ſimpl. Med. Braſav. Lugdun. edit. 1537.
(3) In Epiſt. nuncup. cit.

Digitized by Google

Frellæos fratres MDXXXVII in 8. fuit recuſum. Huic addita fuerunt *Ariſtotelis Problemata, quæ ad ſtirpium genus, & oleracea pertinent*.. Joannes Maria Comes Mazzucheli vir clariſſimus in ampliſſimo Scriptorum Italicorum (1) opere Lugdunenſem editionem ad annum refert errore, ut puto, typographico MDXXXVI, quo Romæ primum prodiit. At nuncupatoria tertio Idus Januarii MDXXXVII data eſt, in eaque ſcribit Argenterius editor (quod in operis calce ipſi Frellæi impreſſores fatentur) menſe tantum Decembri ab Urbe delatum opus fuiſſe, quomodo ergo anteriori anno Lugduni eorumdem Impreſſorum opera fuit prælo commiſſum, aut excudi potuit? Si anno MDXXXVI Frellæus impreſſiſſet, non quidem exemplari romano Benedicti Curtii Symphoriani indiguiſſet. In hujus tractatus adprobationem ſequentia præſtantiſſimi Editoris (2) verba appoſite ſubnectam: *Nam ſi hujus Viri* (Braſavoli), *& aliorum, qui in eodem argumento verſati ſunt, monumenta comparare inter ſe libeat, illos pauca ſparſim, nulloque ſæpe ordine: hunc plurima, eaque certo, antiquo, & jucundo ſcri-*

(1) Gli Scrittori d'Italia Vol. 2. Part. IV. p. 2025.
(2) In epiſt. nuncup. cit.

ſcribendi genere tradidiſſe comperiemus: ut ſi propter utilitatem alios legimus, amamuſque, hunc jam venerari, & in ſinu geſtari oporteat. Et mehercule multis aliis nominibus laudandus eſt. Etenim alii non omnes ex æquo, ſed Germani Germanos, Galli Gallos, ac tandem unuſquiſque ſuos potiſſimum juvare ſtuduit: hic omnibus prodeſſe voluit, ad omneſque nationes ſua transferre laboravit, ut ita ab omnibus vehementer amari debeat. Alii præterea ita docte ſcripſerunt, ut a ſolis doctis legantur: alii inepte, ut nulla voluptate lectores alliciant. Hic etſi rem cum idiotis tractaret, tamen orationem ita temperavit, ut ab eruditis, quoniam eruditus, & a paulo rudioribus, propterea quod a populari facilioreque ſtylo omnino non recedit, cum utilitate, & jucunditate legi queat: ut poſthac neminem eſſe putem tam male in antiquos auctores animatum, qui hujus viri lectione oblectatus, tandem non reſcipiſcat, cupiatque in bonis ſtudiis verſari: neminem tam doctum, qui illius conatus vehementer non approbet, fateaturque ſe multum cum eo profeciſſe.

§. XIII.

Digitized by Google

§. XIII.

Aloyſius Mundella Braſavolum carpere conatur.

CОntra Argenrerii, ac cæterorum doctiſſimorum expectationem, tertio Kal. Januarias anno ſalutis MDXXXVIII inſurrexit Aloyſius Mundella Brixianus, nonnullas in Antonii Muſæ ſimplicium medicamentorum examen criticas ſubjiciens annotationes, quas inter epiſtolas medicinales Mundellæ Baſileæ MDXXXVIII in 8, ibidemque apud Michaelem Iſingrinium MDXLIII in 4 apud Lud. Köning in 8, & Lugduni apud hæredes Jacobi Juntæ MDLVII in fol. una cum epiſtolis aliorum Auctorum p. 383 editas, facile reperiet curioſus Lector. Oblatum tamen certamen nullo pacto ſuſcepit, ac nullo peculiari libello ſuæ fretus doctrinæ veritate ei reſponſum fecit. Sed cum Valgriſium typographum Venetum *Examen* ſuum edere velle intelligeret, ſtatim in operis recudendi initio (1) cum Sene ita Dialogum inſtituit: *Non me latet*, ait Senex, *multos in te*

(1) p. 3.

Digitized by Google

te ſcripturos eſſe , & Braſavolus reſpondet: *Nos oppoſitum ſentimus, quis enim hac in re onus abſque bonore ſubire voluerit? nempe viri probi aliud quid habent quod agant, quam in uno alicujus authoris libro decem, aut duodecim non quidem errata, ſed ambigua invenire: ignavi vero, & qui bonas literas ſummis ſolum labris deguſtarunt, & ſi prava eorum natura in bonos viros invehatur, & inani quadam gloriola ducti eos vellicare tentent, poſthabendi ſunt, & tractandi veluti aſelli, qui dum per viam tranſimus pedita emittunt, & veluti trochlearum ſtrepitus negligendi, illiſque dicendum, ſcribe tu ſi ſapis, & juſtum volumen, & non viginti, aut triginta verſus in ordinem congere. Quantum in me eſt, ſcribat quicumque in noſtras nugas, nunquam Apologias conficiam, ne vulgi fabulam evadam, & per totam urbem digito commonſtrer, ſed cum in re aliqua vellicabor, de ea agam cum obiter incidet, nulla etiam illius, qui me carpere tentabit, mentione facta, illa ſcribens, quæ veritati nobis convenire videbuntur, ne & ego videar virum illum (ſi vir ſit) vice verſa, & maligna quadam mente reprebendere velle, & veluti de illius injuria vindictam ſumere*. Revera a Sene interlocutore Mundellæ objecta ſuis propriis locis prolata ſine iracundia diluit Braſavolus, ac ſuppreſſo Mundellæ nomine, uti virum chriſtianum, uniuſque veritatis aman-

tem

tem decet, comiter, & jucunde refellit. Auctum ita tractatum in 8. typis Valgriſius Venetiis commiſit anno MDXLV.

§. XIV.

Amatus Luſitanus Mundellæ refellit objecta. Andreæ Cæſalpini de Braſavolo judicium.

NON me latet quoque, Amatum Luſitanum in ſuis in Dioſcoridem Commentariis (1) loquentem induxiſſe Braſavolum, qui quum Sorbum immaturum validam vim habere aſtrictoriam, maturum vero parvam, aut nullam ab Amato pronuntiare audiviſſet, hæc ſtatim verba profert: *quum olim in Examine ſimplicium medicamentorum in ſimilia verba prorupiſſem, non defuit poſtea quidam male feriatus vir, qui, tanquam falſa, ea oblitterare conabatur*. Cui verbum tali pacto Amatus reddidit: *Sinamus iſtos ſycophantas maledicentes, qui nihil præter obtrectationes, calumniaſque diſcunt, neſcientes bonum a malo diſcernere, & vitium a virtute*. Plura alia ibi dicun-

(1) lib. 1. Enarr. 155. p. 150.

Digitized by Google

cuntur, quæ, ne fatigentur Lectores, omittimus. Non tamen ſilentio prætereunda Petri Andreæ Matthioli maledicta ſunt, conviciaque in Amatum, quod is *impudentiſſime*, ut ait (1), *Mundellam ipſum virum citra omnem controverſiam clariſſimum ſycophantam* appellavit. Sed dum Amatum impudentia notare nititur, ipſe in majorem labitur. *Præſtantiſſimos viros optimè de literis meritos non ſycophantas, ſed modeſtius* nominandos exclamans, *non ne*, Amatum alloquens ait, *ſtolidum, vecordem, inſanum te judicabunt?* Vir ergo, qui plurima evulgavit ſcripta, Romamque aliquoties accitus fuit, ut *Julio III Pontifici Maximo ægrotanti opem ferret* (2), quemque dum in Ferrarienſi Academia publice (3) profitebatur, *Rex Poloniæ* (Petro Caſtellani (4) referente) *ingenti præmio invitavit, ſed ire recuſavit*, vecors ne & inſanus habendus? Cur non potius rationibus, quam jurgiis Mundellæ ſententiam vindicat? Neque ſum neſcius de Polemonio (5) tractantem

hæc

(1) Cenſur. in Amat. Luſit. Enarrat. ubi de Polemon.

(2) Amatus in Epiſt. nuncup. Centur. III. præfixa.

(3) Id. in nuncup. ad Comment. in Dioſcor.

(4) Vit. Illuſtr. Med. ubi de Amato.

(5) Amat. lib. 4. Enarr. 9. p. 377.

Digitized by Google

hæc Amatum protuliſſe: *Nec eſt, quod Mundella Brixienſis vir mea ſententia doctus, ſed in praxi parum inſtructus, Braſavolum in hac re vellicet, quum ex variis ſimplicibus eandem vim habentibus, unum medicamentum componere, apud Medicos novum non ſit.* Item de Mercurio verba faciens (1) hæc ſcripſit: *Hoc vero ſciens doctiſſimus Braſavolus, examine ſuorum ſimplicium dixit, nos argentum vivum infantibus in vermium ſemimortuis exhibuimus, & illico ſanati ſunt: nec Mundellæ Brixienſi, qui contra illum invehitur, fides ulla habenda eſt, quum abſque ratione, & experimento loquatur;* acriter enim argento vivo deleteriam ineſſe vim, ideoque minime deglutiendum Mundella contra Braſavolum propugnabat. Verum *mirari non debemus*, uti Petrus Andreas Matthiolus (2) Stephano Laureo Medico Cæſareo ſcripſit, *ſi Braſavolus tam clarus ætate noſtra Medicus, ad necandos interaneorum vermes, dari pueris argentum vivum nullo incommodo ſcriptum reliquit*, cum de Mercurii innocentia omnes ad hanc diem ſint Medici teſtes, ejuſque ſingularem anthelminticam vim univerſus prædicet terrarum orbis;

D unde

(1) Ibid. lib. 5. Enarr. 70. p. 490.
(2) Epiſt. Med. lib. 4. p. m. 276.

Digitized by Google

unde optime ajebat Cicero, veritatem id in ſe habere, ut per ſe ſe ſola a maledicis tueatur. Sed licet contra *ſimplicium examen* tam vehementer Mundella ſcripſerit, nihilo tamen minus Venetiis ſub ſigno Putei MDXXXIX in 8, ibidemque apud Antonium Vincentium MDLVI in 16, & antea MDLV Tiguri recuſum fuit, & Lugduni tandem apud Joannem Frellonium MDLVI typis Michaelis Sylvii in 16, uti ſumma, qua pollet, humanitate me docere dignatus eſt clariſſimus Vir, ac Sereniſs. Mutinæ Ducis Bibliothecæ Præfectus P. Franciſcus Antonius Zaccaria Societatis Jeſu. Ex quo periclitantis Botanicæ reſtaurator nominari cœptus eſt. Ita Andreas Cæſalpinus Aretinus, ſummique Pontificis Clementis VIII Archiater, qui octo ſupra quadraginta ab Antonii Muſæ obitu annis e vivis exceſſit (1): *Cæterum ſtirpium cognitio, quæ & a Græcis authoribus, & a Latinis, Arabibuſque tradita eſt, ob barbarorum injuriam periclitabatur, ne deleretur omnino: niſi nuper eandem ſuſcitaſſent Ruellius, Hermolaus, Braſavolus, aliique exteri.* Hinc maxime demiror, doctiſſimum, ac magni nominis in Republica medica Virum Albertum

(1) De Plant. Epiſt. nuncup.

tum Haller de botanico noſtri Auctoris opere non adeo utiliter ſenſiſſe (1). Conſentit enim ipſe ſapientiſſimus Vir, incultum miſerumque fuiſſe Botanicæ ſtatum eo tempore (2), quo vivebat Braſavolus, tuncque hortos medicos condi publicos in uſus tantum cœpiſſe. In humili ergo, quaſi dicam, Botanices initio expectanda ne erant ab hujus Scientiæ cultoribus opera maxime perpolita, omnibuſque numeris abſoluta? Quæ ſcientia in inſtitutionis ſuæ veſtibulo perfecta fuit? Non ne ideo ejus Inventores, Cultores, Inſtauratores maximo in pretio habendi? Horum opera hodiernis comparata, quia imparia, ſunt contemnenda?

§. XV.

Peculiaris in Botanicam Antonii Muſæ amor.

TAnto in Botanices culturam amore diligens rei medicæ Inſtaurator ferebatur, ut omnia ſimplicia, Amato Luſitano referente (1), *variis ſcriniolis diſpoſita apud ſe* re-

(1) Method. Stud. Med. Boerh. locuplet. T. I. p. 213.
(2) Ibid. p. 212.
(3) Comment. in Dioſcor. lib. 5. Enarr. 44. p. 479.

reſervata haberet, & ea omnibus magna animi liberalitate videnda exhiberet. Viridarium quoque multis ſimplicibus refertum poſuerat, & tanta ipſi erat in iis ab hiemis inclementia defendendis accuratio, ut ea ſingulis annis milii nigri culminibus tegi, &, vere adveniente, detegi (1) juberet. Quo ex more illud incommodi fortuito contigit, ut dum aliqua ex iis culminibus ancilla ejus, multo vino obruta, combuſiſſet, cineremque, in quo nonnullæ adhuc ſcintillæ latebant, in aviarium, & apud paleare tranſportaſſet, vehementi adſpirante vento, eodem die incendium proximæ tegeti (de qua infra uberius) intulerint.

§. XVI.

Typis committit tractatum de Æquali hominum natura, Examen Syruporum, dein Examen Catapotiorum.

EO ipſo tempore, quo ſimplicium (XI) examen inſtituit, tractatum quoque, ſi non antea, *de æquali hominum natura, & quare alter alterum excellat* exaraviſſe ſuſpicamur; anno

(1) Braſav. Exam. omn. oleor. p. m. 217.

Digitized by Google

anno enim proximo poſt Examinis Simplicium editionem, ideſt MDXXXVII Venetiis in officina S. Bernardini in 8 prodiit. Item opus inſcriptum *Examen Syruporum, quorum publicus uſus eſt*, evulgavit ſub auſpiciis Eleonoræ Eſtenſis Alphonſi Ferrariæ Ducis III filiæ. Dum ſeptimus a ſuis nuptiis agebatur annus (1), ideſt MDXXXV in hujus ſcriptione examinis laborabat; quod tamen an ante annum MDXXXVIII, quo Venetiis in officina Divi Bernardini fuit excuſum per Bernardinum Stagninum, prodiiſſet, ſatis non teneo. Ibidem quoque apud Cominum de Tridino Montisferrati anno MDXLV, & antea, ideſt MDXL Lugduni (2) & iterum MDLVI apud Joannem Frellonium typis Michaelis Sylvii, uti me perhumaniter inſtruit celeberrimus P. Zaccaria memoratus, fuit eadem forma recuſum. Huic libello *Examen omnium Catapotiorum, vel pilularum, quarum apud Pharmacopolas uſus eſt* Alphonſo Eſtenſi, Alphonſi Ducis Ferrariæ filio inſcriptum ſucceſſit (3). Editum

D 3 Ba-

(1) Id. Exam. Syrup p. 10.

(2) Friſius Biblioth. & A. Haller Stud. Med &c. T. I. p. m. 184.

(3) Braſav. Exam. Catap. Epiſt. nuncup. ad Alphonſ. p. 4.

Baſileæ fuiſſe apud Frobenium anno MDXLIII in 4; Lugduni apud Joannem Pullonum MDXLIII, quæ editio a Cl. Andrea Barotti demonſtrata mihi eſt, & apud Frellæos fratres MDXLVI in 16; Venetiis apud Vincentium Valgriſium MDXLIX in 8; Iterum Lugduni apud Antonium Vincentium MDLVI in 16 certo ſcimus. Quæ & ultramontanæ potiſſimum editiones, quanto apud Medicorum Rempublicam hoc opus in pretio fuerit, ſatis loquuntur. Atque hoc omnibus probatorum Auctorum ſcriptis commune eſt, ut propria ſe laude tueantur.

§. XVII.

Roma, & Neapoli in Patriam reverſus Aphoriſmos Hippocratis interpretatur.

ANno MDXXXV (1) publicas lectiones per quatuor menſium curriculum intermittere ab Duce Hercule coactus eſt, ut illum Romam ad Paulum tertium Pontificem Maximum, & Neapolim ad Carolum quintum Imperatorem proficiſcentem (XI) comi-

(1) Id. Comment. in Aphor. Hipp. &c. Præf. p. 1.

Digitized by Google

mitaretur (1). In ſuo Commentario hiſtorico Hieronymus Baruffaldus (2) tempus hujuſce itineris expreſſe adnotans ad ſextum decimum Auguſti diem Braſavoli profectionem, reditumque ad ſextum decimum Januarii inſequentis refert. At a die Auguſti ſexto decimo ad Januarii decimum ſextum, non quatuor, ſed quinque menſium ſpatium interfluere nemo ignorat; Braſavolum vero quatuor tantum menſibus, ipſo (3) fatente, abfuiſſe certo certius eſt. Quamobrem veritati conſonum magis, die undeviceſima Septembris diſceſſiſſe, & vigeſima quinta Januarii die ſubſequentis anni Ferrariam rediiſſe, uti de Hercule verba faciens in eruditiſſimo *de nummis Ferrarienſibus* opere notat Amicus noſter Vincentius Bellini doctiſſimus, ac in noſtra Ferrarienſi Univerſitate

(1) Id. ibid. Item Exam. oleor. p. m. 337. Item de medic. purgant. &c. p. m. 43.

(2) p. 94, & 107.

(3) *Superioribus menſibus illuſtriſſimus, & excellentiſſimus Dux noſter Hercules coegit nos publicas lectiones intermittere, ut illum Romam ad Paulum tertium Pontificem maximum, & Neapolim ad Carolum quintum imperatorem comitaremur. . . . & ſi nunquam in hoc quatuor menſium ſpatio otioſus fuerim &c.* Comment. in Aph. Hipp. & Gal. &c. Præf. p. 1.

Digitized by Google

de antiquis monumentis famigeratiſſimus Lector (1); ſpatium enim a Bellini ſignatum quatuor implet menſes, & dies ſex. Sed hæc leviſſima ſunt, quæ tamen, ut ſuus veritati locus daretur, minime prætereunda erant. Quocumque tendebat Braſavolus ſummis excipiebatur honoribus. Neque eum literati tantum Viri, ſed & Urbium primores, ac moderatores, & ſummus ipſe Imperator Carolus inprimis coluit. Ejus ſæpe colloquia exquiſivit, eum publicis laudibus cumulavit, eique argenteam Auſtriæ faſciam gentilitio Braſavolorum ſtemmati inferendam permiſit, & magnifico Aulæ Cæſareæ, & Imperialis Conciſtorii Comitis nomine, ut ex Imperiali Diplomate dato Neapoli pridie Idus Decembris eodem anno MDXXXV abunde patet, decoratum voluit. Expleto jam hoc itinere, & in Patriam redux publice Hippocratis aphoriſmos, Galenique Commentaria interpretanda ſuſcepit (2). Hæc magni facta pluriefque recuſa fuiſſe ſcripſit inter alios Morerius (3), mihi tamen accidit nunquam, ut præter Frobenianam Baſileæ in

(1) Delle Monete di Ferrara p. 201.
(2) Braſav. Comment. in Aph. &c. loc. cit.
(3) Dictionaire &c. in verbo Braſav.

Digitized by Google

in fol. an. MDXLI *ad Sereniſſimum atque invictiſſimum Henricum Britaniæ Regem* dicatam, alias invenire potuerim editiones, quamvis Geſnerum, & Friſium in ſuis Bibliothecis ſecutus Clar. Comes Mazzucheli (1) alteram ab eodem Impreſſore anno inſequenti excuſam denunciet. Non equidem ignoro de recudendis hiſce Commentariis ſecum toto animo Auctorem cogitaſſe; Ferrariæ enim quamplurimis immutatis locis, ac ſcholiis ab eodem additis ea adſervabat olim primarius in Patria Univerſitate Profeſſor doctiſſimus, de Republica Medica benemeritus Franciſcus Nigriſolius *(2)*; eaque, Jacobo Antonio Bono (3) teſte, *ad incudem revocavit*. At morte forſitan præventus, quod animo intendebat, abſolvere, ut ſuſpicor, non potuit. Eadem publici juris facta non mediocrem Scriptori ſuo commendationem, & *Viri eruditiſſimi* nomen a præſtantiſſimo Commentatore Joanne Zecchio Bononienſi (4), pepererunt. Imo Hieronymus Mercurialis, Vir apud Medicos cele-

(1) Scrittori d' Italia Vol. 1. Part. IV.
(2) Baruffald. loc. cit. p. 139.
(3) Præfat. præmiſs. Indici Braſav. in Gal. libr.
(4) Comment. in Aph. Hipp. Sect. 8. p. 77.

Digitized by Google

lebris, horum Commentariorum concinnitatem maxime probans cum Hollerio ſapientiſſimo Viro illum comparat (1): *Antonius Braſavola, atque Hollerius, Viri tempeſtate noſtra in medicina facienda, atque docenda eminentiſſimi.*

§. XVIII.

Ejus in literis græcis peritia.

QUæ cum ſine maxima Græcæ linguæ peritia aggredi non potuerint, græce enim ſuos conſcripſit Hippocrates aphoriſmos, quantum in ea lingua excelleret Braſavolus dicendum eſt. *Inſtitutiones linguæ græcæ*, de quibus infra, conſcripſit, & in latinum ſermonem primus eos vertit aphoriſmos, quos interpretandos Galenus prætermiſerat, quoniam ab Hippocrate minime editos, neque in ordinem redactos putaverat. At Braſavolo utile viſum fuit, aphoriſmos hoſce intactos ab aliis in unum congerere, e græco, ut diximus, transferre, & commentariis illuſtrare, ne deinceps temporum in-

(1) Prælect. in Aph. Hipp. lib. 8. p. m. 811.

Digitized by Google

injuria, aut paterni ſermonis difficultate inculti deliteſcerent, nec aliquid, quod ad abſolutum opus ſpectare poſſet, deſideraretur. Itaque ſeptem aliis liber octavus ab eo primum adjectus eſt. Græcos pariter Philothei, ſive Theophili Commentarios in Aphoriſmos Hippocratis, in quibuſdam codicibus Stephano Athenienſi Theophili diſcipulo adſcriptos, latine vertit (1), quem Philotheum, in ſuis Commentariis, ait (2) Braſavolus, *adducere non pigebit*.

§. XIX.

Lucam adit. Pauli III Pontificis Archiater efficitur.

UT autem illuc, unde divertimus, redeamus, hoc ipſo anno MDXLI, quo doctiſſima in aphoriſmos Commentaria edidit, Lucam, ubi Pontifex Maximus Paulus III aderat, & Carolus V Imperator, profectus eſt. Clariſſimus Baruffaldus pluribus in locis aſſerit, Antonium Muſam cum co-

(1) J. A. Fabritius Biblioth. Græc. Vol. XIII. lib. VI. cap. IX. p. 369.
(2) lib. 1. aph. 1. p. 1.

Digitized by Google

eodem Pontifice iter ſuſcepiſſe, utpote qui apud eum Archiatri officio fungens moraretur. At res aliter (ſit verbo venia) ſe habet; nam Herculem Ducem Patronum ſuum (qui ipſo Baruffaldo (1) probante Lucam venit) ſecutus, Ferraria excedens Lucam eo tempore ſe contulit, neque apud Pontificem ullo unquam tempore, ut infra oſtendetur, commoratus eſt. Pontificem officii cauſſa ſexdecim comitabantur S. R. E. Cardinales, magnuſque Prælatorum numerus; Imperatorem vero Comites, Marchiones, Duces ad quadraginta, & amplius (Ferrariæ, Florentiæ, ac Camerini Ducibus, vel Legatis exceptis) aliique diverſis honoris titulis illuſtres præter magnum inferioris notæ gregem. In tanta Ducum, Magnatumque frequentia, opportunitate doctrinæ ſuæ demonſtrandæ ſponte ſibi oblata, Medicum alterum, doctum cæteroquin hominem, qui diſceptando in oppoſita erat ſententia, in ſuam deduxit, omnibus Braſavoli opinioni faventibus. *Non mihi tempero* (ipſius verba recenſere juverit), *quin Medici cujuſdam temeritatem adducam, qui Lucæ prandente Pontifice* 1541 *in menſe ſeptembris, totis viribus de-*

(1) loc. cit. p. 104.

Digitized by Google

defendere conabatur, neminem ante Hippocratem de re medica quicquam ſcriptis mandaſſe, nos autem præter alia preſentem ſententiam adduximus, qui Cnidias vocatas ſententias ſcripſerunt, oſtendentes Cnidios medicos ante Hippocratem ſcripſiſſe, & in publicum libros evulgaſſe, & Galenus in 18 *bujus libri ſectione antiquiores Hippocrate refert* (1). Quam ob rem Paulus III mira Braſavoli captus doctrina ſui Medici titulum eo ipſo, ut opinamur, tempore illi dedit.

§. XX.

Ferrariam venit, libros de ratione victus in morbis acutis Hippocratis exponit, & de Vermium curatione. Juſſu Ducis libello de modo Juris dicendi exarato, ſcribit Examen omnium Electuariorum, pulverum, & confectionum catharticarum.

ABſoluto Lucæ congreſſu una cum Hercule Duce Ferrariam rediit Braſavolus. Inſequenti anno MDXLII (2) ut in li-

(1) De rat. vict. in morb. acut. Comment. &c. p. 3. col. 1.
(2) Ibid. p. 2. col. 2.

Digitized by Google

libros de ratione victus in morbis acutis Hippocratis, & Galeni Commentaria Ferrarienſi juventuti exponerentur, Hercules Dux deſignavit Braſavolum. Ad hanc igitur partem Artis enucleandam pro virili ſe applicuit, annotationeſque addidit, quas Venetiis apud Hieronymum Scotum MDXLVI in fol. excudi curavit, atque Chriſtianiſſimo, & invictiſſimo Franciſco I Gallorum Regi Patrono (VII) ſuo nuncupavit. Omnia in Hippocratem, & Galenum Commentaria, & annotationes maximi dilaudaverunt in Arte Viri. Doctor Bibliothecarius, ac Sorbonicus Profeſſor *l'Abbè Ladvocat* in ſuo Hiſtorico &c. dictionario (1) Braſavolum memorans de eo ait: *dont on a des Comments eſtimés ſur les aphoriſmes d'Hippocrate, e d'autres oeuvres.* Alexander Maſſaria in doctiſſimo Patavino Gymnaſio primo loco edocens, perlectis diligenter Braſavoli Commentariis, inter paucos Hippocraticæ periclitantis doctrinæ Patronos eum jure optimo recenſet (2): *Alter eſt* (inquit) *Antonius Muſa Braſavolus Ferrarienſis, quem Virum nobiliſſimum multis illuſtribus laudibus digniſſimum, ex eo potiſſimum ſoleo*

(1) In verbo *Braſavolus*.

(2) De Purgat. princip. morb. p. 217.

Digitized by Google

ſoleo magni facere, ac ſuſpicere, quod jure eum poſſumus inter paucos numerare, qui triſtiſſimo hoc tempore, quo catervæ veniunt contradicentium, Hippocratis & Galeni dogmata conſtanter tueri, & ſuſtinere conatur. Merito ergo, & appoſite cecinit Franciſcus Bovius Ferrarienſis (1)

Hactenus Hippocrates latuit, pariterque Galenus,
Nec fuerant nobis notus uterque ſatis.
Sed cum cuncta vices habeant, poſt nubila Phœbus
Succedat, maneat ſors quoque nulla diu.
En tibi mirando nunc MUSA ANTONIUS auſu
Abdita quæque prius lucida ſenſa facit.

& paulo poſt

Hinc præclara tibi ſumes documenta, fidelis
Quæ tibi dat medicus, dat tibi quæque ſophos.

Interea quamvis eſſet ad auditorum animos ex cathedra imbuendos occupatus, plura tamen alia, ut Reipublicæ Medicæ, omnibuſque univerſim prodeſſet, ſcriptis conſignare non deſtitit. Tractatum *de vermium curatione*

(1) Carmen Encom. præmiſs. Comment. de Rat. vict. in morb. acut. Hipp. &c. Braſav.

ne literis mandavit. Quo ex loco, quave ex officina prodierit nos quidem fugit; prælo tamen excuſum fuiſſe Lectori teſtamur, quoniam hæc habet (1) Antonius Muſa: *illum* (ad lumbricos pulverem) *vero in ſcriptis mandavi in vermium curatione, quam EDIDI*. Similiter libello *de ordine ac modo Juris dicendi* (qui legitur Examini omnium Collyriorum præmiſſus) juſſu Herculis Ducis anno MDXLVI confecto, *Examen omnium Electuariorum, pulverum, & confectionum catharticarum, quarum uſus eſt in officinis* edidit Venetiis apud Vincentium Valgriſium MDXLIII & MDXLVIII in 8, & Lugduni MDLVI in 16.

§. XXI.

Epidemicos Hippocratis libros publice interpretatur, ſcribitque Commentaria in Prognoſtica.

EPidemicos Hippocratis libros anno MDL publice interpretari aggreſſus eſt (2), atque illuſtrare Commentariis. An hæc fuiſſent typis evulgata animo fluctuavimus jamdudum incerti, a Sene tamen rogatus Braſa-

(1) Exam. Suffuſ. ideſt pulver. p. 177.
(2) Id. Exam. Oleor. p. 213.

Digitized by Google

ſavolus in Dialogo de Oleis (1), ut verum Ligni Indici decoctionem inſtituendi modum ſibi aperiret, cum hoc dediſſet reſponſum: *Tu locum illum legere poteris in noſtris ſupra ſecundum Epidemiorum Hippocratis librum Commentariis &c.* nos hæc Commentaria in manibus fuiſſe omnium concludebamus. Nunc vero omnem pene nobis adimit hæſitationem Zacutus Luſitanus hæc ſcribens (2): *Libros Epidemion ſubtiliſſime expoſuere Valleſius & Muſa Braſavolus.* Quo ex prælo tandem evulgata, quoniam ea nunquam vidimus, nos latere fatemur. Scripſiſſe quoque *Commentaria in Prognoſtica* Jacobus Antonius Bonus (3) teſtatur, & Zacutus Luſitanus (4). Verum quo loco excuſa fuerint, ignoramus pariter.

E §. XXII.

(1) p. 419.
(2) De Medicor. Princip. Hiſt. Præf. tot. oper.
(3) Præf. præmiſs. Indici in Gal. libr. Braſav.
(4) loc. cit.

Digitized by Google

§. XXII.

Romam petit. Infortunia quæ ei obvenerunt, & terribilia inſomnia.

DUm his diſtineretur literariis curis Romam ſequi Herculem Ducem poſt Februarii menſem (1) Julium III Pontificem Maximum viſitaturum (2) adactus eſt. Sed eum ipſe equum conſcenderat, qui aliis fortaſſe defatigatus laboribus vix iter ingreſſus tam vehementer in lapidem pedibus impegit, ut ferme corruerit (3). Ferraria egreſſus, & ad locum in medio itineris ſitum Ferrariam inter & Bononiam, qui nunc ſub Bononienſi ditione Sanctus Petrus in Caſali nuncupatur, ubi pranſurus erat, pervenit, atque equo deſcendens, cum dextra ſagi ſui pars ſub ephippio in itinere effugiiſſet,

(1) Braſav. Exam. oleor. p. 213. Narrat hoc loco ſuæ tegetis (de qua poſtea) incendium, quod contigiſſe fatetur IV. Kal. Martiias *antequam Romam profectus eſſet* (ibid. p. 216.). Ergo poſt Februarium petiit Romam.

(2) Id. De medic. tam ſimpl. quam compoſ. cathart. &c. p. 9. litt. D

(3) Id. Exam. Oleor. p. 210.

ſet, totam diffregit. Paullo poſt diaphoretico cœpit ſudore profluere, ac in ſyncopem incidit. Venter dein illi commotus eſt, & febris, licet remiſſior, excitata. Verum Patronum ſuum, qui vitam propriam in ejus ſponte manibus commiſerat, nullique melius fidebat (1), tanta obſervantia colebat; ut recta eodem die Bononiam ſe conferre decreverit. Noctu ſomno non caruit, & quamvis novo mane minime vacaret febri, tamen equo inſidit, ac denique ſoſpes, licet dexteri cruris dolore aliquantulum gravaretur, Romam venit, ac in monte Jordano apud Cardinalem Eſtenſem (2), eo imperante, ſibi domicilium poſuit. Hæc illi incommoda, antequam Ferraria diſcederet, in ſomnis, ut vulgo creditur, ex parte prædicta ſunt. Somniavit per ſumma juga equitaſſe, equum in præceps ruiſſe, & in acutum lapidem caput ſuum impegiſſe. Viſus eſt aliquando a latronibus trucidari, aliquando ab ingentis anguis (qui quatuor equi, quo vehebatur, cruribus cauda ſua complexis pronum in terram dejecerat) dentibus lacerari. Ei quoque in ſomnis Parentes,

(1) Id. ibid. p. 203.
(2) Id. ibid. p. 211.

Fratres, Sorores, Filii, Patrui, Conſobrini jam e vivis abrepti, viſi fuerunt, qui eum ad Divi Andreæ templum, in quo Braſavolorum ſepulcrum conditum eſt, adſportarunt, eumque comprehenſum Genitores jam pronum humo ſternere aggrediebantur, cum a repentino ſtrepitu in ſuo cubiculo excitato experrectus eſt. Hæc præter morem terrifica inſomnia, & viſa (1), quæ Ferrariæ paſſus, Romam quoque habuit, ideo commemoravimus, non ut ipſius incommoda, quibus obnoxius fuit, prædixiſſe credantur, ſed ut quæ de ipſius vita collegimus, licet non adeo ſeria, minime prætermitteremus. Silentio quoque prætereundum non eſt, cum Roma poſt ſanctiſſima Reſſurectionis feſta rediret Ferrariam, prope Volſinium anulum triginta aureis emptum cyaneo lapide diſtinctum amiſiſſe. Hoc anulo, quem in ſiniſtræ manus auriculari gerebat digito, Antonium Muſam donavit *nobiliſſimus Philippus Strozza Mantuanus* (ex qua præclariſſima Familia florent ætate noſtra Domini Marchiones Fratres Strozza, inter quos Marchio primogenitus Philippus virtutum antiqui Philippi inſignis emulator, & Eques omni lau-
de

(1) Id. ibid. in princip.

de digniſſimus) cujus clariſſimi viri mnemoſyno carere Braſavolum tædebat maxime (1). Incolumis tamen (2) Ferrariam regreſſus eſt.

§. XXIII.

Plura opera evulgat.

HOc ipſo anno MDL, cum quinquagenarius (3) eſſet, ſcriptis conſignabat *Examen Trochiſcorum, Unguentorum, Ceratorum, Emplaſtrorum, Cataplaſmatum, & Collyriorum, quorum frequens uſus eſt apud Ferrarienſes Pharmacopolas*. Hæc examina variis ex Ateſtinorum Principibus diviſim inſcripſit Hieronymus filius, quamvis nunc in uno ſint collecta volumine, quod Venetiis apud Juntas MDLI in 8 prodiit primo, dein Lugduni apud Sebaſtianum Honoratum MDLV in 16. Item ſcripſit *Examen omnium Looch ideſt Linctuum, Infuſionum, ſuffuf ideſt Pulverum, Aquarum, Decoctionum, Oleorum, quorum apud Ferrarienſes Pharmacopolas uſus eſt*. His acceſſit *de morbo gallico lepidiſſimus ejuſdem*

(1) Id. ibid. p. 212.
(2) Id. ibid. p. 217.
(3) Id. Exam. Trochiſc. p. 196.

Auctoris tractatus. Fuit ab Auctore Balduino de Balduinis Epiſcopo Marianenſi inſcriptum, & Venetiis evulgatum apud Juntas MDLIII in 8, & notante Comite Mazzuchellio (1) iterum MDLV eadem forma. Lugduni quoque apud Sebaſtianum Barptolomæi Honorati MDLIV in 16, uti ab eruditiſſimo P. Zaccaria accepi, & apud Jo: Temporalem MDLV in 16, iterumque, eodem Mazzuchellio ſcribente, MDLVII. Ibidem apud Sebaſtianum Honoratum MDLXI in 16. De morbo gallico Tractatus extat etiam in Operibus *de morbo gallico* ab Aloyſio Luiſino collectis, editiſque Venetiis tomo primo p. 564, & Lugduni Batavorum MDCCXXXI in fol., quem laudat celeberrimus Pariſienſis Joannes Aſtruc hiſce verbis: *De morbo gallico multa differit egregie* (2): Et antea Paſchalis Gallus (3) ſcripſerat: *de lue venerea etiam diligentiſſime copioſeque tractatur*. Ita Vir ſummi ingenii, atque emunctæ naris Albertus Haller univerſæ Medicorum Reipublicæ ob egregios ſuos tractatus valde carus noſtri Auctoris opuſculum commendat hæc dicens (4): *opti-*

(1) Scrittori d'Ital. Vol. II. Part. IV. p. 2026.
(2) De Morb. Vener. T. II. p. 175.
(3) Biblioth. Med. p. 30.
(4) Method. Stud. Med. Boerh. locuplet. T. II. p. 334.

optime de lue gallica ſcripſit. Quo illi major accedit laus, quod inter eos, qui de venereis morbis ſcripſerunt, gonorrhœam virulentam, quæ impuræ veneris pediſſequa eſt, primus omnium deſcripſit (1). Dum hæc Auctor in publicis haberet ſcholis anno MDLI, Alexander Fontana Mutinenſis Antonii Muſæ lectiones frequentans quindecim de Ligno Indico quæſita in medium propoſuit, ut a Braſavolo ſolverentur. Quæ in calce ejuſdem de morbo gallico opuſculi reperiuntur. Conſcriptus quoque ab eo *De medicamentis tam ſimplicibus, quam compoſitis catharticis, quæ unicuique humori ſunt, propria tractatus inſignis*, & editus fuit Lugduni apud Sebaſtianum Honoratum MDLV in 16; Tiguri apud Geſneros Fratres eodem anno in 8. *De Radicis Chinæ uſu* tractatum evulgavit, in quo radicis decocto utendi modum docet, quemque Venetiis MDLXVI in fol. edidere, & in Veneta de morbo gallico collectione extat eodem tomo p. 615. Ex univerſis Galeni operibus ampliſſimum in ſui tantum, filiorum, ac amicorum commodum, ut ipſe (2) teſtatur, indicem collegerat. At

(1) Aſtruc loc. cit. T. I. p. 93.
(2) In epiſt. nuncup. ad Indic. ipſum.

Digitized by Google

cum Thomas Junta Venetus impreſſor anno MDL omnia Galeni opera aucta, caſtigata, pulchriſque characteribus ornata in lucem edere ſtuderet, ne quid perfectius in hac ſecunda editione deſiderari poſſet, Gabrielem Falloppium ad Braſavolum mittere decrevit, ut in Galenum indicem, ſi poſſet, ab eo reportaret. Reluctabat ſane Braſavolus, cum haud eſſet ignarus, ut ipſe ſcribit, *quantum hoc colligendi authorum ſententias munus ſecum afferat calumniæ, & difficultatis: calumniæ inquam, quia inglorius labor videtur Indices parare, difficultatis vero, quoniam difficile admodum eſt authorum ſententias exquiſite, abſoluteque colligere.* Falloppius tamen (cujus tanta erat commendatio orationis, ut nemo ei dicendo poſſet reſiſtere) tantum apud Antonium Muſam præceptorem potuit, valuitque eloquentia, ut Indicem, ipſo Hercule Duce ſuadente, illico typis committi non denegaverit. Prodiit eidem Duci dicatus ſub titulo *Indicis refertiſſimi in omnes Galeni libros* in fol., quem octies cum Galeno Junta recudit, & denuo Venetiis MDCXXV. *Opus indefeſſæ elucubrationis, & utilitatis inexplicabilis* vocat. Petrus a Caſtro (1), cujus ope om-

(1) Biblioth. Med. p. 93.

omnes Galeni locos, ut ſcripſit Amatus Luſitanus (1), *quiſquis hodie vel pinguioris Minervæ medicus quærere poterit, Braſavoli præſertim ex Galeno collectum indicem ſi ante oculos habuerit, quem Dii vellent, in lucem Vir doctiſſimus nunquam miſiſſet, ac non jam hodie vel veterinarii, & muliones de medicina garrire cœpiſſent.*

Quas hactenus retulimus noſtri clariſſimi Viri lucubrationes, non omnes exactiſſimo eo ordine chronologico, quo ipſe eas exaravit, enuntiavimus. Ea enim præſertim examina, quæ nunc in unum volumen digeſta habemus, diverſis primo temporibus fuerunt literis conſignata. Volumen quippe, cui inſcribitur *Examen Trochiſcorum, Unguentorum, Ceratorum, Emplaſtrorum, Cataplaſmatum, & Collyriorum* non eodem anno, aut eodem continenter ordine monumentis tradebat Auctor; *Collyriorum* enim examen, quod poſtremum in volumine occupat locum, ſcribebat (2) Antonius Muſa anno MDXLVI. Contra *Trochiſcorum examen*, quod voluminis caput eſt, anno MDL (3) fuit con-

(1) Curat. Med. Centur. III. Cur. 45.
(2) Braſav. Exam. Collyr. p. m. 700.
(3) Id. Exam. Trochiſc. p. m. 196.

Digitized by Google

confectum, ideoque, ne tractatus in uno volumine congeſtos perturbaremus; qualia nunc extant examina recenſere opportunum duximus. Item in epidemicos Hippocratis libros Commentaria, quamvis ea multo antea confeciſſet (XXI), ad annum tamen MDL non alio retulimus conſilio, niſi quia ea tunc publica ex cathedra expoſuit. Ex eodem quoque Antonio Muſa (1) habemus, copioſiſſimum in Galenum indicem ante annum MDXLI parare cœpiſſe, nihilo tamen ſecius, quia anno tantum MDL in lucem prodiit, ad hoc tempus renuntiavimus. Similibus aliiſve inixi rationibus idem in aliis operibus nobis licere arbitrati ſumus.

Ipſi quoque operum poſthumorum Cælii Calcagnini Viri ætate ſua celeberrimi editionem Eruditorum debet Reſpublica. Cum enim ea anno MDXLI, quo XIV Calendas Maii die ſecunda Paſchatis Reſſurectionis Cælius terris raptus fuit (uti humaniſſimis literis Vincentius Bellini rerum Ferrarienſium eruditiſſimus mihi ſignificavit, quidquid alii ſcribant) ad Braſavoli manus (2) per-

(1) Epiſt. nuncup. ad Cæl. Calcagn. quæ proludit Indici in Hipp Aph. & Gal. Comment.

(2) Ex teſtamento Cælii unus ex tribus Curatoribus deſignatus fuit.

perveniſſent, una cum aliis jam editis congeſſit, ac Herculi II Ferrarienſium Duci devota Baſileæ anno MDXLIV in unum volumen in fol. evulgavit. Sed ea, quæ Cælius carminibus cecinit Joanni Baptiſtæ Pigna voluit commendata, quæ poſtea una cum ſuis, & Areoſti verſibus collegit, & Alphonſo II inſcripſit (1).

(1) In eorumd. Carmin. nuncup.

DE

Digitized by Google

DE VITA
ANTONII MUSÆ BRASAVOLI
LIBER ALTER.

§. I.

Antonii Muſæ ingenuitas in ſcriptis.

HActenus Braſavoli noſtri literario vitæ curſu propoſito, nunc quædam de moribus, de corporis ſtructura, atque indole, deque ejus obitu exequemur. A ſummo integerrimi animi candore, & puro veritatis ſtudio exordimur. Non erubuit quandoque fateri Vir ſapientiſſimus: *nunc mihi non conſtat* (1): *Ego nondum habeo quid certi dicam* (2): *Ingenue fateor uſque ad hoc tempus a me hos frutices ignorari* (3), & ſimilia. Cum rei veritas ab eo clare non perſpiceretur, ſuam pertinaciter tueri ſen-

ten-

(1) Exam. Simpl. Med. p. 100.
(2) Id. Ibid. p. 183.
(3) Ibid. §. de fructib. p. 310.

Digitized by Google

tentiam minime conabatur, ſed ab ea ſine iracundia receſſurum pollicebatur, ut ajebat, ſi meliora inveniſſet, vel ubi meliora *ab aliis inventa eſſe conſtabit* (1). Reipſa, veritate rei poſcente, opinionem ſponte mutavit, & faſſus eſt: *ego alias id ſentiebam* (2): *alias autem deceptus ſum* (3). In ſua ergo ſententia nimis perſtitiſſe, ut ſcribit (4) Baruffaldus, a veritate abhorret; quin imo veſtigium in eo pertinaciæ cerneres nullum, quam adeo inſectabatur, ut in pervicaces iracundiæ commotus ſtimulis hæc ſcripſerit: *O peſſimum genus, ignorant, & id noſcunt, tamen ſua ignorantia obſtinati diſcere contemnunt, & potius meris nugis conſeneſcunt, quam ab aliis diſcere velint, aut ſaltem ex ſe ipſis veritatem noſcere conentur* (5). *Non eſt levitas*, ut inquit (6) Seneca, *a cognito, & damnato errore diſcedere, & ingenue fatendum eſt: aliud putavi, deceptus ſum ...... Non eſt turpe cum re mutare conſilium*; quin potius magnorum Virorum eſt. Ingenua Anteſignani noſtri Hippocratis ſui

(1) Ibid. p. 3.
(2) Ibid. p. 98.
(3) Ibid. p. 127.
(4) Coment. Iſtor. &c. cit. p. 146.
(5) Ex ſimp. Med. p. 179.
(6) De Benef. lib. IV. cap. 38.

Digitized by Google

ſui erroris confeſſio magnum A. Cornelii Celſi meruit elogium; *nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex erroris confeſſio, præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſſa poſteris traditur* (1). Ita veritas eadem de cauſſa, ut ſuas obtineret ſedes, Ariſtotelis inſtar, adverſus Leonicenum, & Manardum præceptores multoties, honeſtiſſime tamen, diſputavit; quamvis enim Præceptoribus multa deberet, nihilo ſecius *debeo*, ajebat (2), *plura veritati, quam ſemper incorruptam ſervare ſtudemus*, & alibi apertius (3): *Imo cum nulla in re mentiendum ſit, in illa autem potiſſimum a mendatio abſtinendum eſt, in qua de humana vita agitur, ac ſalute*. Nulla ergo Scriptorum apud eum valebat auctoritas, ut eorum, quamvis graviorum, ſententiæ inconſultus ſubſerviret; inſtitutum ei erat *omnia*, ut dicere ſolebat, *quæ poſſumus experiri, nulli ſumptui, nec labori parcentes, in his præſertim, quæ ſupra huma-*

nam

(1) De Re Med. lib. 8. cap. 4.
(2) Exam. Simpl. Med. §. De ſucc. prædenſ. p. 443.
(3) De Medic. purg. quæ unicuiq. hum. &c. p. 55. litt. D.

Digitized by Google

nam rationem ab antiquioribus ſcribuntur (1). Optime hinc D. Garzia ab Horto, Proregis Indiæ Medicus (2), Braſavolum in nullius Magiſtri verba juraſſe, ſancte affirmavit. Qua in re ingenuitas non ſolum, verum & Antonii Muſæ ſapientia in primis effulget; et enim cum morali Philoſopho Seneca dicam (3): *ſcire eſt & ſua facere quæque, nec ab exemplari pendere, & toties ad Magiſtrum reſpicere.*

§. II.

Ejuſdem ad Artem amplificandam ſedulitas.

QUamquam autem Auctorum ſcripta ita ſoleret, ne falſa in ſalutarem Artem magno Mortalium detrimento irreperent, ſevere diſtringere, tamen eorum opinioni, ratione & experientia poſcentibus, libenti animo obſequebatur. Immo novis inventis alia paſſim adjungi (4) mirifice delecta-

(1) Exam. Simpl. M. §. de ol. ex flor. & herb. p. 624.
(2) Aromat. apud Ind. Hiſtor. cap. 2. in fine.
(3) Epiſt. 33.
(4) Exam. Simp. Med. p. 105.

ctabatur. Non eum fugiebat, Artem medicam, ſicuti & cæteras Artes, ut Plinius teſtabatur, & ante ipſum Plato edocuerat, majora in dies incrementa capere; ideoque totis viribus, nulliſque parcendo laboribus, ut perfectior evaderet, eam amplificare majorem in modum conabatur. Noſtra tamen ætate adſunt homines, Medici nomine prorſus indigni, qui clariſſimorum Virorum in Arte peritorum nuper inventa irridentes, Medicinam potius in cunis perpetuo jacere exoptant, quam obſoletam, & ſæpe inutilem, ne dicam noxiam, praxim deſerant. Expertus loquor, qui a privatis non modo Auctoribus, verum ab Academiis omni exceptione majoribus, Edimburgenſi ſcilicet, Lipſienſi, & Pariſina ſummopere laudatum Vitrum Antimonium ceratum in dyſſentherico affectu athletico ægro proponens, nuper a male feriato Medico (qui ſe publici Ferrarienſis Profeſſoris ſimulato nomine obtexit) ſcriptis laceſſitus, ac vulneratus ſum, non aliam, quod ſciam, ob cauſſam, niſi quod hoc non antiquum remedium, illique incognitum exhibendum jubebam. *O peſſimum genus*, hic repetenda eſſent recitata Braſavoli verba, *O peſſimum genus, ignorant, & id noſcunt, tamen ſua ignorantia obſtinati diſcere contemnunt,*

& po-

Digitized by Google

& potius meris nugis conſeneſcunt, quam ab aliis diſcere velint, aut ſaltem ex ſe ipſis veritatem noſcere conentur. Ego tamen jam me minime hominum clamores extimeſcere oblatranti Medico oſtendi, perlectiſque reſponſionibus meis jam editis ſiluit ipſe tandem, ac, ſi vita ei adhuc ſuppetat, nunquam, dummodo oblatam ſibi veritatis lucem intueri velit, labia aperiet. Quod ſi ab uno male exceptus ſum, ſummopere me recreat, meæ in hoc literario certamine ſententiæ principes Medicinæ Profeſſores acceſſiſſe. Liceat hic mihi particulam ex epiſtola quadam afferre, qua me ſummæ in Republica Medica auctoritatis Vir L. B. Gerardus Van-ſvvieten Cæſareus Archiater humaniſſime donavit: *Antimonium ceratum ſcio eſſe tutum, & efficax remedium in dyſſentheria, & in diarrhœa diuturna. Propria manu paratum dedi frequenter omni ætati & ſexui, & a plurimis egregiis Medicis idem factum novi, & abſque ullo periculo. Nubem teſtium habes.* In hac ipſa Mantuana urbe de Antimonii cerati innocentia ac virtute teſtis in primis eſt egregius Urbis & ditionis Prothophyſicus Felix Aſti, Vir non ſcientia ſolum, & ſumma experientia, ſed comitate atque ſingulari humanitate inſignis, omnibuſque acceptiſſimus. Cum is ſuperiore

Digitized by Google

anno Aloyſium Domini Cæſaris Giuſſani filium, annorum duodecim puerum, gravi laborantem dyſſentheria ſub D. Leonardi Curia inviſiſſet, & Rhabarbarum, & Aquam Tetutianam, & iteratos clyſteres, & Ipecacuanam, aliaque hujus generis prædicata remedia illi obtuliſſet, omnem ſe tandem operam perdidiſſe, & puerum jam ad mortem ruentem non ſine admiratione ultro fatebatur. Non tamen animo deſpondere viſus eſt Vir ſummus, & Vitrum Antimonium ceratum ſine ulla hæſitatione exhibuit. Res omnino fuit miraculo ſimilis. Vis morbi ſtatim deferbuit, ac repetito iterum remedio, juvenem e mortis periculo liberavit. Sed vix impedita jam vel primo ſanguinis fluentis excretione, & inteſtinorum tortura remiſſa, e remedio tantiſper ceſſatum eſt, morbus ſtatim recrudeſcere viſus eſt, & Antimonium iterum repoſcere, quo jam prorſus deſperata ſanitas puero reſtituta eſt. Atque ita factum eſt, ut clariſſimi Viri experimento omnia obtrectatoris mei deliramenta ſubvertantur. Sed ut ad Braſavolum revertar, is Artem noſtram per incrementum fieri Galenum tradidiſſe ſciens, ut magis magiſque Medicinæ expanderentur fines, omnes bonos Auctores ſibi ad imitandum propoſuit,

ſta-

ſtatuitque novis inventis, quæ ratione, & experimento eſſe optima conſtarent, ſemper aſſentiri, gloriabaturque, minime velle eos imitari, qui remediis uti deſpiciunt, quæ ab Antiquis prætermittuntur (1). Immo cum miſerrimi ingenii eſſe (2) affirmaret, veteribus uti ſemper inventis, idcirco novis inveniendis remediis animum intendit. Quod ut tutius aggredi poſſet, nec periculum ullum alicui crearet, in flagitioſis hominibus capite damnatis, petita ab Ferrarienſium Duce venia, ſæpius tentavit. Ita in libro de Medicamentis purgantibus (3) in Dialogo cum Renato filio ipſe teſtatur: *quoniam de humana vita temere ludendum non eſt, etiam ſi miſerrimi ſit hominis vita, immo ſi nonnunquam de re ignota ſum experimentum facturus, illud in ſcelerato homine exerceo ad præſentaneam a Prætore mortem condemnato*. Cui Renatus reſpondet: *Scio te in capite mulctandis multa feciſſe experimenta*. Subdit vero ipſe: *& talia, ut quandoque illos a capitali pœna liberaverim*. Ad quæ reponit tandem Renatus: *Ita faciundum eſſe arbitror, tentare, inquam, an miſero illi ſuc-*

(1) Ex. Simpl. Med. p. 103.
(2) Ibid. p. 106.
(3) p. 123. lit. C.

Digitized by Google

curri poſſit omnium aliorum vitas adjuvando; nam ſi intereat nihil diſpendii eſt, quia & eodem die cum magno pudore & dedecore in ſpectaculo detruncandus erat, ſi ſupervivat, ut plerunque nonnulli fecere, emendatus mala amplius non perpetrabit, & per aliquod tempus adhuc ſupervivit, & experimentum ſumptum eſt, quod omnibus hominibus prodeſſe poterit, & quod probis viris vitam nonnunquam ſervaturum ac prorogaturum erit. In hiſce autem aliiſque experimentis inſtituendis adeo exercebatur, ut Renato filio affirmare potuerit (1): *Nunquam ſum adeo occupatus, quin pro experimento aliquo ſumendo horam non ſervaverim, quam expendere poſſim.* Primus itaque Ferrariæ ligni indici decoctum in aqua anno MDXXVI, deriſu ignarorum poſthabito, propinavit, ut ipſe teſtatur (2): *Cum omnibus aliis Medicis novum, ac inuſitatum videretur (ut vere fatear) medicamentum; multique id ipſum deridebant, quouſque videre illuſtrem Virum ſanitati reſtitutum eſſe. Ego etiam primus Ferrariæ MDXXXV decoctum in vino adhibui;* idque tum contigit

cum

(1) Ibid. p. 65. lit. C.

(2) Quæſit. Alex. Fontanæ in calce Tractat. De Morb. gallic. Braſ. Quæſit. I.

cum Roma Ferrariam (1) venit, multaque invento alieno addidit, ut commodius, quam antea anno MDLI ægrotantibus exhiberetur (2). Similiter nigrum elleborum *in deſuetudinem*, ait ipſe, *venerat, ut nemo illud præbere auderet, ego primus (abſit jactantia) nigrum elleborum præbere cœpi & ſolum & cum aliis roborantibus mixtum a ſcrupulo incœpi, & ad drachmam uſque perveni, abſque moleſtia atram bilem ſemper educere ſe cepi* (3). Hydrargyrus ab antiquis inter venena recenſebatur. Ipſi vim penitus noxiam tribuit Dioſcorides, cujus teſtimonio innixus Galenus illum inter erodentia collocavit. Solus Avicenna plurimos Hydrargyrum abſque ullo incommodo ebibiſſe, eumdemque nihil mutatum rediidiſſe obſervavit; a quampluriinis tamen Medicis ut venenum adhuc habebatur, ut videre eſt apud Actuarium, qui illum inter medicamenta exitialia enumerat, & Meſuem, qui illo tantum ad cutis affectiones ſanandas uſus eſt. At Braſavolus ſolertiſſimus rerum ſcrutator ante annum MDXXXIV ne dum Mercurium a veneno-

(1) Braſav. de Morb. gallic. p. m. 597.
(2) Ibid. p. m. 578.
(3) De Med. purg. p. 66. litt. B.

rum claſſe ſevocavit, quin immo elegantiſſimum in eo pharmacum agnovit, & latentem vim anthelminticam, qua adeo ætas noſtra gloriatur, detexit primus, idemque ſi propinetur, infantes vi lumbricorum ſemimortuos ad vitam & ſanitatem revocare primus prædicavit (1). Hujus remedii uſus interni epocha, quam aſſignamus, in dubium minime revocanda eſt. Jam vidimus (XI. I.) ad annum circiter MDXXXIV Braſavolum conſcripſiſſe *Examen ſimplicium medicamentorum*, quo vim Mercurii anthelminticam anno MDXXXVI typis Romæ poſtea evulgavit. Braſavolo repugnaſſe Aloyſium Mundellam tertio Kal. Januarii MDXXXVIII quoque (XIII. I.) adnotavimus; unde aperte erumpit clariſſimi Joſeph Mariæ Xaverii Bertini Florentini error (2), qui primum Mercurii uſum in verminoſis affectionibus anno MDXLV tantum ſtatuit. A veritate multo magis aberravit doctiſſimus Joannes Baptiſta Burſerius (3), qui ad annum MDLI hanc epocham tranſtulit. Sed quiſnam rationem un-

(1) Exam. ſimpl. Med. §. de Metall. p 524.

(2) Diſcorſo dell' uſo eſterno, ed interno del Mercurio.

(3) De Anthelmint. Argen. viv. facultat. Epiſt.

Digitized by Google

unquam divinaverit, cur enunciato anno MDXLV Braſavolum & Sennertum, tamquam primos de anthelmintica Mercurii virtute promulgatores, Bertinus ſimul enumeret? Sennertus in Sileſia anno MDLXXII natus eſt (1), nimirum poſt Braſavoli obitum. Quomodo ergo illo aſſignato anno una cum Braſavolo hydrargyrum, ut anthelminticum, evulgare potuit? Ita celeberrimus Pariſienſis Stephanus Franciſcus Geoffroy (cujus verba tranſcripſit Robertus James (2), eumque ſecutus eſt) Braſavolum una cum Carolo Muſitano conjungit (3), quaſi hydrargyri innocentiam, & ad vermes necandos præſtantiam ſimul promulgaviſſent. At Muſitanus ortus eſt anno MDCXXXV (4), octoginta ſcilicet annos a Braſavoli interitu. Auctor quoque fuit confectionis, quæ ab Inventore *Braſaulica* dicebatur, podagricis, ac chiragricis maxime accommodatæ (5). Ita & illorum Trochiſcorum inventor, qui tum in ſanandis cum in præſervandis Civibus Ferrarienſibus, anno MDXLIX peſtilen-

(1) Aſtruc de Morb. Ven. T. 2. p. 346.
(2) Dizion. Univ. in verbo Mercurius p. 272.
(3) De Mater. Med. T. I. P. I. Art. IV. p. 139.
(4) Ex. Præf. Oper. præfix.
(5) Exam. Electuar. p. 68.

tia vexatis, ſummam opem tulere, quibuſque fecit *de bolo armenæ* nomen (1). Celeberrimus Auctoris noſtri auditor Gabriel Falloppius Syrupum Braſavoli ab Inventore nuncupatum prædicat: *Excellentiſſimus*, inquit, *Braſavolus præceptor meus ſolebat evacuare, & tentare ſolutionem morbi cum quadam ſua potione ſuaviori, quam ſit illa Montani, quæ etiam potio præceptoris evacuat omnes humores; ſed præcipue melancholicos; & ego ſum ipſa aliquando uſus felici cum ſucceſſu, & in aliquibus locis eſt in frequenti uſu, & vidi multos fuiſſe ſanatos ab incipienti morbo ex uſu talis potionis, & hoc præcipue vidi Ferrariæ* (2), ſyrupumque hoc loco deſcribit. Pulverum pariter contra vermes compoſitionem (3) excogitaverat, & præterea cordialem frigidam pro epithematibus cordialibus ſimplicem, capitalem, frigidam, temperatam, calidam (4), & ceratum ad hernias (5) invenit. Neque his & ſimilibus inveniendis medicamentis operam ſuam tantum ætate jam provectus

(1) Exam. Trochiſc. p. 193.
(2) Oper. T. 2. De morb. gallic. cap. 39. p. 144.
(3) Exam. de Suffuſ. ideſt Pulv. p. m. 177.
(4) Ibid.
(5) Exam. Cerat.

Digitized by Google

vectus contulit, ſed a primis uſque, quod pene incredibile eſt, pueritiæ ſuæ annis. Ipſum de ſe loquentem audire licet. *Verum,* inquit, *a quinto meæ ætatis anno uſque ad quadrageſimum, fui magnus in his rebus ardelio, omnia etenim ſimplicia experiri tentavi, ut an ſimplicia ſuis effectibus, vel his qui illis attribuuntur correſponderent invenirem, multaque inveni, probe dicta, & non pauca aliter, quam ab authoribus ſcriptum ſit* (1). Hæc tamen inventa permagni ſua erant tempeſtate, poſterique Medicinæ Profeſſores tanti fecerunt, ut ſuo in Antidotario (2) hæc ipſa deſcribere proximo ſuperiori ſæculo excellentiſſimum Bergomi Collegium operæ pretium putaverit. Quæ omnia, ut in Artis medicæ Inventorum numero noſtrum Ferrarienſem conſtitueret, merito impulerunt Medicum Academiæ Avenonienſis in Gallia egregium Franciſcum Valleriola, qui ita ſcripſit (3): *Italia una certe terrarum omnium alumna, eadem & parens (ut ait Plinius) numineque Deum electa, quæ cœlum clarius faceret, multos tulit ſum-*

(1) De Med. purg. p. 42 lit. B

(2) Edit. Brix. apud Franciſc. Tebaldinum 1628. p. 114. 117. 209.

(3) Loc. commun. lib. 1. cap 1. de Medic. Inventor. &c. p. 8.

Digitized by Google

ſummi ingenii, nobilitatæ eruditionis, famæque Viros, Leonicenum melioris medicinæ in Italia parentem, Hermolaum, Picum, Manardum, Braſavolam .... quorum ſcriptis & illuſtriorem effectam medicinam & longe ſuis finibus egreſſam in confeſſo eſt. Ad extremum hic addam, Chirurgiæ practicæ jejunum minime fuiſſe, imo in ea amplificanda operam ſuam aliquando impendiſſe. Celebre illud eſt, quod de ſe ipſe narrat (1). Quum enim crudeliſſima quidam æger laboraret angina, neque amplius ſpiritum ducere poſſet, auctor ipſe fuit, ut poſcente morbo præſens remedium laryngotomia tentaretur. Non erat autem ea paratus arte adſiſtens Chirurgus ad difficillimam inciſionem, quæ animo imperterrito, atque dexterrima indiget manu, arripiendam; quare ut deſperatæ ſaluti jam morientis quam citiſſime conſuleret Braſavolus, ipſe ſuis manibus opus feliciter abſolvit, atque a periculo, & deinceps a morbo ægrum liberavit. Quod ſane præclarum tentamen & aliis in ægrotis feliciter repetitum in Chirurgia exercenda non mediocriter excultum prædicat.

§. III.

(1) Comment. in Hipp. de Rat. vict. acut lib.4. p. 114 col. 2. v. 20.

Digitized by Google

§. III.

Ejuſdem ab otio fuga.

NEque dum itineribus ſuis diſtineretur vel Romam, vel Neapolim, ſive in Galliam, ut vidimus, aliaſque ad Urbes cum Alphonſo, aut Hercule patronis iter faceret, totus ſe unquam otii jucunditati tradidit, quin immo ſemper in diſcendo fuit ubicumque impiger, & Græcorum more, qui in Ægyptum ad Scientiarum, ut ajebant, mercaturam proficiſcebantur, dum in Civitatibus exteris degeret *inter publicas bibliothecas, atque privatas, inter bonorum virorum conſeſſus atque diſſertationes, inter res novas inquirendas* (1) *continuo* verſabatur. Si cum Alphonſo Duce in Illyrio erat, quaſi novus Democritus in agris, ut commodius eo in ſilentio Naturæ operationes legeſque diſcere poſſet, ille in ſylvas decedens, Irim illyricam inveſtigare, invenire, plures ejus adnotare colores, ut ab aliis diſtingueretur (2). In

(1) Braſav. Annot. in Aph. Hipp. & Gal. &c. Præf. p. 1.

(2) Exam. ſimpl. M. §. de Rad. p. 342.

In Iſtria ad Mare cum eſſet (1) Androſacem, ut ejus adhuc ignotum a cuſcuta diſcrimen aperte noſceret, ad examen revocabat. Ad Apenini alpes per Caſeronianam tranſiens (2) Thapſiam ſcrutabatur, ne cum illa, qua utebantur Pharmacopolæ, veram Thapſiam deinceps confunderent. In locis maritimis, ubi Caput Gauri, vulgo *Codigoro*, protenditur, cum Caſtor ibi a Venatoribus captus Alphonſo Duci oblatus eſſet, magna affectus lætitia eſt, eam ſibi obferri occaſionem, ut membratim diſſecaret. Quo facto fiber legitimus fuit pro uſu medico tutiſſime (3) determinatus. Nunquam ergo animum recreandi gratia iter aggreſſus eſt, neque, quum in via eſſet, mentis erudiendæ opportunitatem, licet obequitaret, dimiſit. De Agarico pariter ſermonem habens, inquit (4): *in Gallia frequenter per ſylvas equitantes circa quercuum radices vidimus*. Quod antea prope Comaclum in ſylva alias obſervaverat (5). In horum omnium, aliorumque,

ne

(1) Ibid. p. 99.
(2) Ibid. p. 356.
(3) Ibid. §. de Pulm. & Teſtic. p. 607.
(4) Ibid. p. 383.
(5) Ibid. loc. cit.

Digitized by Google

ne nimis ſim longus, vel indaganda natura, vel effectibus notandis ſuas impendere curas, cogitationeſque, cum Bibliothecæ, doctiſſimorumque Virorum colloquia illi abriperentur, & in Patriam non niſi multis cognitionibus auctus remeare, aſſueverat.

§. IV.

Ejus mira in ſcribendo facilitas.

FErrariam regreſſus velut alter Hiſtoriæ naturalis Pater Plinius, qui in itinere adnotata domum reverſus in commentaria referebat, incredibili diligentia ſuam *copioſiſſimam Bibliothecam, ac omnium librorum refertiſſimam* (1) ingreſſus cum Auctoribus propria comparando obſervata, & mira ſagacitate, vera a falſis, certa a dubiis, optima a bonis ſecernendo, ea ſcriptis tradere, ac in publicum commodum poſteritati mandare. Is erat diſertus, laborioſus, atque latinæ linguæ peritus; quare, quod mente conceperat, admirabili facilitate exarabat. Reipſa de eo Jacobus Antonius Bonus mirabatur, quod *tot volumina, tamque diverſi generis utilia* con-

(1) Lil. Giraldi Var. Crit. Dialog. V.

conſcripſit, atque edidit, ut mirum ſit quo pacto Vir ille diligentiſſimus, qui ægrotis curandis aſſiduus eſt, tantumque temporis in aſſiduis lectionibus publicis conſumit, tot tantaque excogitare, ne dum ſcribere potuerit (1). Merito autem admirabatur; vix enim credibile eſt, quomodo tot negotiis pene obrutus in Commentariis ad Hippocratis libros *De ratione victus in morbis acutis* conſcribendis (quæ paginas 585 in fol. implent) trium, aut paulo plus annorum ſpatium tantum impenderit! Dixi *trium annorum ſpatium*, ex ea ſcilicet ratione, quod anno MDXLII eos interpretandos (XX. I.) ſuſcepit, annoque MDXLVI Venetiis commentariis illuſtratos edidit. Accedit præterea, quod præ manibus hoc eodem tempore *Examen ſimplicium medicamentorum* reſumpſit, & ſapientiſſimas paſſim adjiciens notas, & Mundellæ (XIII. I.) objectiones refellens auxit, atque anno MDXLV Venetiis recudit non ſolum, verum etiam literis *de modo juris dicendi* libellum tradidit, & *Examen Collyriorum* (2). Item a Romæ, & Neapolis reditu, initio ſcilicet MDXXXVI (XVII. I.) Hippocratis Aphoriſmo-

(1) Præf. ad Ind. Galen. Braſ. cit.

(2) Exam. Collyr. p. 700.

Digitized by Google

morum interpretationem aggreſſus eſt, & quamvis, exceptis copioſiſſimo Indice, & Præfationibus, ad paginas 1145 in fol. excreviſſent Commentaria, tamen ea quintum ante annum explevit; Nicolaus enim Epiſcopius Baſileenſis Chalcographus, ac eorum, quæ in Commentariis & Annotationibus Braſavoli tractantur, Indicis conditor ſua ad Lectorem epiſtola, quæ preit Indici, ingens hoc opus Idibus Martiis anni MDXLI jam typis excuſum fuiſſe prædicat. Quibus in rebus, quid in eo natura efficere poſſet, videtur experta.

§. V.

Singularis in diſcipulos amor.

QUod ſibi a Deo tam facile ad quælibet conſcribenda datum erat ingenium, in Auditorum ſuorum quoque inſtitutionem ipſe conferebat; in tertium enim Aphoriſmorum librum interpretationem (quæ ad paginas uſque 183 in fol. extenditur) ſicuti tribus tantum menſibus (1) abſolvit, ita & quatuor ſupra triginta lectionibus diſci-

(1) Braſ.Comment.in Aph.Hipp. &c.lib.3.p. 535.

ſcipulorum commodo ex cathedra explanavit; immo tanto Auditorum, ut ad Scientiarum faſtigia celerius pervenirent, amore tenebatur, ut, cum lectionibus ſuis vacare juſta de cauſſa deberet, animo vehementer angeretur. Roma & Neapoli (XI. I.) in Patriam regreſſus, cathedramque denuo aſcendens primam ita proluſionem exorditus eſt (1): *Quoties intermiſſarum lectionum memoria ſubibat, mentis oculi a lacrymis temperari non poterant, & ſi nunquam in hoc quatuor menſium ſpatio otioſus fueram: nempe inter publicas bibliothecas atque privatas, inter bonorum virorum conſeſſus, atque diſſertationes inter res novas inquirendas continuo verſatus ſum. At nihil unquam viſum eſt conducibilius, quam publicis lectionibus inſudare, & in publicam diſſertandi arenam deſcendere, & eo præſertim ſi auditores probi ſint, atque ſeduli, quales vos eſſe jam novimus ...... Nos interim tarditatem lectionum ſedulitate compenſabimus.* Quanam id ratione præſtiterit refert Baruffaldus aſſerens quinquies eum docuiſſe quotidie, cujus & hunc adduxit textum: *quinque lectionibus incumbere, publice docere, rem medicam exercere*

(1) Ibid. Præf. p. 1.

Digitized by Google

cere (1); ſed in mea, quæ Valgriſii eſt MDXLIX, editione (2) verbum *quinque* deſideratur. Neque tantam temporis copiam videtur, tam gravi occupationum pondere oppreſſus, habuiſſe, ut innumeris ægris inviſendis, tot lucubrationibus edendis, *negotiis familiaribus, & illis quidem multiplicibus* (3) *providendis*, & *quinquies* diſcipulis quotidie erudiendis ſufficeret. Illud mirum in diſcipulos ſuos ſtudium aperuit, quod narrare aggredior. Deſertis antiquis Braſavolorum ædibus prope D. Antonii templum (I. I.) anno MDL apud Sanctum Spiritum (4) hoſpitium poſuerat, cum IV Calendas Martias hora prima & viceſima in Epidemicorum Hippocratis explanationem animum intenderet, ex ſuis famulis quidam adſtitit, qui domum flammis ardere, totamque comburi denuntiat. Jam percuſſi campanis aeris ſonus,

G

(1) Comment. cit. p. 95. Ex eo id forte Baruffaldus affirmavit, quod in editione Lugdunenſi apud Joan. Pullonum ſub anno MDXLIII legerat *v. lectionibus incumbere*. At Clariſs. Jo. Andreas Barottus legendum cenſet *videlicet*, non *quinque* quod ſane ab editione, qua ego utor, probatur optime; ea enim habet, *ſcilicet lectionibus incumbere*.

(2) Exam. Catap. vel Pilul. p. 15.

(3) Id. ibid.

(4) Exam. omn. oleor. p. m. 213.

nus, qui populum ad ignem extinguendum vocabat, ſuas ſtrepebat ad aures, cumque omnes ab incœpta eum deſtiturum lectione crederent, ſapientem illum inter ſeptem Biantem (1) imitatus, qui fortunæ ludibria, quæ nos bona appellamus, pronuntiabat, flammis potius deſerendam domum, quam inchoatam lectionem reſecandam putavit. Omnia enim vera bona in ſola eſſe virtute pro certo habebat Vir clariſſimus ita cum Sene alloquens in Dialogo de Pilulis (2): *Dic autem*, ait, *quid eſt verum bonum niſi virtus? nam divitiæ labiles ſunt, & caducæ, pulcritudo fluida eſt, & tamquam flos brevi evaneſcit, robur diuturno tempore langueſcit: Unde non ab re a Stellato Poeta dictum eſt*

Præter virtutem non eſt durabile quicquam
Divitiæ pereunt, ſpecies quoque, robur, honores,
Cuncta cadunt, virtus æterna in tempora durat.
Quam fortuna nequit, nec tollere longa vetuſtas.

Neque domum tantum, omnibus admirantibus, reviſere recuſavit, ſed *ego*, ita de ſe loquitur (3), *contemplationis viribus in me ipſo collectis illi reſponſum dedi comburatur; nam hinc*

(1) Cicero ad M. Brutum Paradox. I.
(2) p. 10.
(3) Exam. omn. oleor. p. 214.

hinc diſceſſurus non ſum, priuſquam integram lectionem non perfecerim. Quæ cum audiviſſet famulus, ut eum a propoſito revocaret, non domum vere comburi, quæ tota concamerata, ac lateritiis fornicibus compacta minus ignem verebatur, ſed tegetem inflammatam eſſe declaravit, quam ad centum & amplius fœni currus continendos capacem, & ad paleas & ligna aſſervanda ſuperiori anno ædificari juſſit. Sed licet majus ſibi ex eo incendio imminere damnum adverteret, propoſitum tamen tenuit, & ſerio reſpondens *Ito tu*, inquit, *& cum aliis ignem extinguatis* (1). At Scholaſtici novarum rerum cupidi, ut ipſe ait (diſſimulans eos Præceptoris periculo, & obſervantia excitari), audito campanarum ſonitu, ac manibus pedibuſque ſupra tabulas ingeminato ſtrepitu pulſantes, finem lectioni tandem facere invitum coegerunt. Domum itaque cum diſcipulis reverſus ignem quidem extinctum, ſed tegetem jam crematam invenit. Qua incendii occaſione cum in tanto hominum concurſu, ac rerum perturbatione multus latrociniis pateat aditus, multa Braſavolo direpta fuerunt; quod tamen ſerena fronte diſſimulabat.

(1) Ibid. loc. cit.

bat. Sapientis enim eſt omnibus fortunæ telis, ac caſibus invictum ſe præbere, animique magnitudine omnia vitæ incommoda ſuperare. Qua de re ſapientiam fortunæ victricem dicit Juvenalis, eoſque, qui ex Sapientiæ, & Philoſophiæ præceptis vivunt, caſus fortunæ adverſos non pertimeſcere, imo fortunæ ludibria aſpernari; ideoque bene beateque vitam agere (1)

Magna quidem, ſacris quæ dat præcepta libellis
Victrix fortunæ Sapientia, dicimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum vita didicere magiſtra.

VI.

E tota Europa Auditores trahit.

NIl ergo mirum ſi e tota Europa, ut ab eo inſtituerentur, & ad honeſtarum diſciplinarum faſtigia (uti Jacobus Antonius Bonus (2) vivens tunc teſtis) facilius promoverentur, frequentiſſimi Auditores confluerent. Eorum elenchus, quem ipſe recen-

(1) Juvenal. Satyr. XIII.
(2) Præf. præmiſs. Indici in Gal. libr. Braſ.

Digitized by Google

cenſet Braſavolus (1), hoc idem probat. In eo tamen emicat Joannes Baptiſta Cananus nobilis Ferrarienſis, *Vir uti ſine controverſia inter anteſignanos ſuæ tempeſtatis anatomicos collocandus, ita omni genere doctrinæ, & morum probitate, comitateque nemini ſecundus*, ut doctiſſimi Gabrielis Falloppii (2) verbis utar, qui inventi muſculi palmaris brevis gloriam ingenue illi tribuit; Cananus, inquam, ab Amato Luſitano (3) vocatus *Vir qui in diſſecandis corporibus humanis alter Veſalius habetur*; & alibi (4) *Vir hac ætate cum ipſo Veſalio facile conferendus*; quique Julii III P.M. Archiater, ac in Patriam ab Alphunſo II Ferrariæ Duce revocatus totius Ferrarienſis ditionis Protomedicus declaratus fuit. Idem nobiliſſimus Anatomicus Gabriel Falloppius (5) Mutinenſis fatetur Braſavolum audiviſſe. Cæſar & Pius Æneas Caprilli, & Marcus Antonius Florio quoque Ferrarienſes; Gaſpar de Gabriellis nobilis Patavinus *Vir ſingulari doctrina præditus, & herbarum, ac ſim-*

 pli-

(1) Comment. in Aph. Hipp. &c. Præf. ad Gal. Gonzag.
(2) Oper. T. I. Obſerv. Anat. p. m. 74.
(3) Curat. Med. Cent. I. Cur. 31.
(4) In Dioſcor. lib. 2. Enarr. 59 p. 202.
(5) De Morb. Gall. cap. 13. 14. 36. 39.

plicium maximus indagator (1), qui, Amato Luſitano (2) affirmante, publice in celebri Ferrarienſi Archilyceo rem herbariam edocuit, & mox *naturalem Philoſophiam ex Græca Academia publice profeſſus eſt* (3), auditores Antonii Muſæ fuerunt. Joannem quoque Baptiſtam Suſium Mirandulanum (4), non Mantuanum, ut ſcripſit Vander Linden (5), Philoſophum, Medicum, ac Equitem, Joannem Bacchanellum Regienſem, Joannem Sinapium Germanum, *virum varia eruditione præditum* (6), *& utraque literatura graviſſimum* (7), *& Medicæ Artis profeſſorem acerrimum* diſcipulos habuit. Hi omnes, quos

(1) Luſitanus in Dioſcor. lib. 4. Enarr. 153. 154. p. m. 448.

(2) Ibid. lib. 1. p. 9.

(3) Braſav. Comment. in Aph. &c. Præf. ad Gal. Gonzag.

(4) Ex Epitaphio Mirandulanum fuiſſe liquido patet. Mantuæ enim Medicinam fecit, ac obiit XII. Cal. Aprilis MDLXXXIII, & humatus in Venerabilis Cœnobii aditu Fratrum S. Franciſci, cui Hippolita Uxor, Cleantes, & Sergius filii epitaphium poſuerunt.

(5) De Script. Medic.

(6) Amat. Luſitan. in Dioſcor. lib. 1. Enarr. 70. p. 68.

(7) Braſ. Comm. in Aph. &c. Præf. ad Gal. Gonzag.

Digitized by Google

quos per Europam reddidit bonos, & doctos Viros, ne plures enumerando noſtros fatigemus Lectores, ſuis lucubrationibus jam celebres de peculiari Praeceptoris in docendo aſſiduitate, eximiaque ſcientia cumulate loquuntur, illique meritas rependunt vices.

VII.

In medicis quæſtionibus dirimendis Judex eligitur. Ejus in re medica auctoritas.

AD tantum Præceptorem, *cui jure optimo fides eſt habenda*, ut ſcripſit Vincentius Madius Brixianus, *Philoſophus ſua tempeſtate celeberrimus, ac interpres naturæ diſertiſſimus* (1), quum Ludovico Panizzæ (2) literas daret, tamquam ad Judicem omni exceptione majorem, ut abſtruſiores dirimeret quæſtiones, confugiebant Artis Medicæ periti. Eidem *undequaque doctiſſimo* (3) ex tribus clariſſimis Medicis a Madio propoſitis, celebrem illius tempeſtatis controverſiam, ut ſententiam proferret ſuam, detulit Ludovicus

(1) Macchiavelli Orat. de Laud Ferrar. p. 19.
(2) Apud Panizzam De Ven. Sect. &c. p. 101.
(3) Panizza ibid. p. 68.

Panizza Mantuanorum Ducis Archiater doctiſſimus. Item Sebaſtiani Montui Medici Galli Rivorienſis litteraria diſſidia cum Leonardo Fuchſio ſe ſuccidiſſe Braſavolus ipſe refert; hæc enim ipſe narrat (1): *alias hanc rem diffuſiſſime tractaturi ſumus, præſertim cum inciderimus magna circa hanc rem doctiſſimorum virorum diſſidia, ſcilicet doctiſſimi viri Sebaſtiani Montui, & celeberrimi Leonardi Fuchſii Marchionum Brandenburgenſium Archiatri.* Sed quum Fuchſii rationes minus fortaſſe approbaſſet, vehementer ille indignatus præſertim in ſuis ſupra Hippocratis Aphoriſmos Commentariis *ubi potuit*, ut verbis utar Cardani (2) *ſolitus eſt carpere Braſavolum*, in quem crebris verborum contumeliis, & indignationem, & ſuam contradicendi libidinem in rebus plerumque nullius momenti declaravit. At quamvis *ſæpiſſime Braſavolam refutet, rarius* tamen, immortali Hallero ſcribente (3), *uti notum, experimentis ſuis utilis.* Sed ſi Fuchſius prolatæ contra ſe ſententiæ non ſtetit, quæ tamen ſentiebat Braſavolus

(1) Comm. in Aph. &c. lib. 7. Aph. 30. p. 1072.

(2) Comm. in Aph. Hipp. Sect. 3. Aph. XIV. p. 254. col. 2.

(3) Method. Stud. Med. Boerh. locupl. T. 2. p. 127

volus, & alii ſentire gloriabantur. Antonium Muſam *magnæ per Italiam auctoritatis* virum appellavit Bernardus Deſſenius Cronenburgius Medicus Colonienſis (1). Et Amato Luſitano non vulgaris eruditionis viro in eadem, qua Braſavolus, eſſe mente, ne medicis in rebus falleretur, carum in primis erat, inquit enim: *gaudeo equidem cum tanto viro ſentire, quem tanti feci ſemper* (2). Cum vero ſuæ opinioni Braſavolum aliqua in re accedere audiebat, ita geſtiebat animo, ac ſi rem cum adverſariis ſuis confeciſſet: *Huic noſtræ ſententiæ adſtipulatur*, ajebat, *Antonius Muſa Braſavolus, cujus judicium in arte medica multis antefero* (3). Eadem clariſſimus Hippocratis interpres Hieronymus Cardanus, ſuique temporis Medicus doctiſſimus ſentiebat. Itaque de eo magnifice alloquens, *illius*, ſcripſit, *eruditionem, labores, ac judicium omnibus, qui noſtra ætate ſcripſerunt, mea ſententia præferam* (4). Quare quod olim ſcribebat Cicero, *errare* ſcilicet *mehercule malo cum Platone, quam cum cæteris vera*

(1) De Compoſ. Medicam. lib. IX. p. m. 818.
(2) Comm. in Dioſcor. lib 1. p. 14.
(3) Ibid. p. 22
(4) Comm. in Aph. Hipp. Sect. IV. Aph. V.

Digitized by Google

vera ſentire (1) de Braſavolo noſtro merito uſurpabatur. Hinc ſummam cum eo inire conſuetudinem cœperunt magni Viri. Inter hos præſtantiſſimus Rondeletius regius in Monſpelienſi Academia Profeſſor; Laurentius enim Joubertus ejus diſcipulus in ipſius vita, quam & poſteritati tradidit (2), hæc habet: *perluſtratis primum Academiis Italiæ præcipuis, Piſana, Bononienſi, & Ferrarienſi. Poſtremo Patavii fuit. Quibus in locis doctiſſimorum virorum commercio perfrui illi datum eſt, Joannis Argenterii, Lucæ Ghini, Cæſaris Odonis, Antonii Muſæ Braſavoli, Joannis Baptiſtæ Montani.* Immo nonnulli longiſſima ſuſceperunt itinera, ut & eum viſerent, & ejus doctrina proficerent. Joannes Langius Leobergiæ Sileſiorum natus, Principum Palatinorum Medicus, ut exotica medicamenta cognoſceret, Ferrariam decrevit proficiſci, *ſciſcitabor*, inquiens, *an illa erudita Leoniceni Medicorum progenies, Manardus, & Braſavolus aliquid novi medicamentorum acceperint* (3). Qui vero aliis curis diſtenti ab itineribus ineundis prohibebantur, ipſius tamen judi-

(1) Tuſcul. Quæſt. lib. 1.
(2) Oper. Omn. T. 2. p. 187.
(3) Epiſt. Med. 64.

dicium per nuncios expetebant. Jamque Amatus Luſitanus radices veræ montanæ nardus Ferrariam miſit, ut *doctiſſimus Braſavola* (ita ipſe loquitur) *diſcerneret, quantum hæc ab Spica Indica differret* (1). Quare de Ferrarienſibus loquens jure affirmare potuit (2): *Ferraria, ad quam quicunque de re herbaria, veluti de bona medicina exactam notitiam habere deſiderat, accedat conſulo: Sunt enim Ferrarienſes cœleſti quodam influxu favente Medici doctiſſimi, ac rerum naturalium cognoſcendarum diligentiſſimi, qua de cauſſa, apud eos, per ſex annos nunquam pœnitendos commorati ſumus.* Tanta is ergo auctoritate florebat, tantaque eruditi Viri exiſtimatione gaudebat, ut Cælius Calcagninus Ferrarienſis eidem olim (I.I.) diſcipulo ſuo varia devoverit opuſcula. Hæc ſunt. I Paraphraſis in primum librum Ethicorum Ariſtotelis. II In Politica Ariſtotelis Paraphraſis. III In Ariſtotelis Commentationem de Senſu, & Senſili Paraphraſis. IV Quod Stoici dicunt magis fabuloſa, quam Poetæ: ad imitationem Plutarchi. V De Citrio, Cedro, & Citro Commentatio.

§. VIII.

(1) Comm. in Dioſcor. lib. 1. p. 20.
(2) Ibid. lib. 4. p. 374.

§. VIII.

Multi Europæ Principes eum conſulunt.

AD hoc Sapientiæ lumen non remotiores tantum Medici accedebant, verum & multi e primis Europæ Principibus, qui de ſua ſalute omnium ſtudioſiſſimi, eum, tamquam melioris famæ oraculum, interrogabant. Si ex divini Senis teſtimonio, qui recte prænoſcere, ac prædicere ſciverit, Τὴν θεραπείην ἄριστα ποίεοιτο, ideſt *curationem optime fecerit*, θαυμάζοιτότε δικαίως, καί ἰητρὸς ἀγαθὸς εἴη, ſcilicet *merito admirationi fuerit & medicus bonus extiterit* (1), nullus majori admiratione dignus extitit, quam Braſavolus; ſolidæ enim praxis, multipliciumque obſervationum fundamento innixus, *Deo optimo favente in excellentiſſimorum virorum collegiis, & publicis ac privatis colloquiis ſemper feliciſſime* (2) vaticinabatur; ideoque *curabat, ſanabat, ab inferis propemodum revocabat* (3). Ita

(1) Hipp. Prænot. lib. in princip.
(2) Braſ. Comm. in Aph. Hipp. &c. lib. 2. Aph. 19. p. 212.
(3) Bonus Præſ. ad Indic. in Galen. cit.

Digitized by Google

Ita & celeber Ferrarienſis Joannes Baptiſta Pigna, qui eodem tempore floruit, in Antonii Muſæ laudem cecinit (1)

Cujus feruntur optimos ad exitus
A ſorte vota proſpera.

Non ſemel ſummorum Pontificum Pauli III, & Julii III incolumitati conſilio adfuiſſe, Romamque ſæpius ad eos curandos fuiſſe accerſitum, teſte Macchiavellio (2) exploratum habemus. Hoc & ſatis docent egregia munera, quæ in Herculis Braſavoli, Antonii Muſæ filii, commentariolo a Baruffaldo (3) pervoluto illi donata recenſentur. Magnum argenti pondus a Paulo III accepit tres ſupra centum unciarum. Magnum item aureorum numerum, intra quos elegans monile nummo quoque aureo decoratum unciarum duodecim cum dimidio (4) ab Julio III reportavit. Item Carolo V Cæſari, Franciſco I Galliæ, & Henrico VIII Britanniæ Regibus a conſiliis medicis ſteriſſe, ex conſultationibus Braſavoli manuſcriptis a Baruffaldo lectis abunde patet. Neque alia de

(1) Carmin. lib. 2. p. 48.
(2) Orat. de Laud. Ferrar. p. 19.
(3) Coment. cit. p. 105.
(4) Ibid. p. 106.

Digitized by Google

de cauſſa cum Aragonenſibus, Farneſiis, ac Gonzagis familiaritatem eſt conſecutus, eorum quippe valetudini frequenter conſuluiſſe ex ejus ſcriptis eruimus (1). Quo ad Gonzagas autem ſpectat exploratum eſt tanta floruiſſe gratia, ut Fridericus II Mantuanorum Dux, præter privilegium (IX. I.) quod & Vincentius firmavit, illum & progeniem ſponte ac liberaliter honorifico diplomate affecerit. In nuncupatoria ad Franciſcum Gonzagam, quæ in Commentariis *in libellum Averrois de Subſtantia Orbis* (VII.I.) præit, hæc habet Auctor: *Fridericus*, ait, *qui Antonium Muſam virum a quo nil unquam commodi acceperit, vel accepturum ſperaret, offitio affecerit, & tali, ut ex proprio proventu poſteros etiam ornarit, & perpetuo diplomate muniverit*. Quibus vero honoribus aut privilegiis fuit auctus dicere non audeo, nulla enim ſatis valuit vel acuratior diligentia, ut e latebris diploma illud eruere potuerim.

§. IX.

(1) Exam. Simpl. Med. p. 409. 410. 432. De Med. tam ſimpl. quam cathart. quæ &c. p. 1. p. 201. litt. C.

Digitized by Google

§. IX.

Provinciæ ab eo petunt Medicum.

NEque de iis Provinciis mentio eſt prætermittenda, quæ cum Duci Herculi adſtrictum nullis promiſſis, aut præmiis ab eo divelli poſſe cognoſcerent, ab eo ſaltem (tantam ſibi ubicumque comparaverat auctoritatem) enixe petebant, ut Medicum ad Civium ſuorum regendam valetudinem arbitratu ſuo deligeret. Clariſſima fuit Rhacuſinæ Reipublicæ deputatio, cujus juſſu Sebaſtianus Menſeus, Mediolanum iter faciens, Orator Ferrariam venit Antonium Muſam conſulturus, quemnam ex Medicis apprime doctis a Republica conducendum ille judicaret. Amatum Luſitanum delegit Braſavolus, literas Senatui dedit Rhacuſino, eumdemque aliis aptiorem ſibi viſum ſignificavit (1).

§. X.

(1) Amat. Luſitan. In Dioſcor. Epiſt. nuncup.

§. X.

Rerum domeſticarum curam Conjugi relinquit.

TOt inter occupationes rerum domeſticarum exigua, aut nulla ei erat cura, immo Caſſandræ Conjugi, poſt nonum a conjugio menſem filio ſuſcepto, univerſa bona, totamque obtulit pecuniam (1): *Caſſandra ſoror* (ita tunc eam alloquutus eſt) *hæc tua ſunt, & natorum tuorum, ſi placet expendas, atque profundas, tibi enim filiiſque profundes. Si parca eris tibi filiiſque parces, nunc enim peperiſti, & iterum plena es, quantum in me eſt, vel parca ſis vel prodiga, nihil refert: mihi enim vel hic vel alibi nihil defuturum eſt: ſed tibi, filiiſque tuis deeſſe poſſet, ſi immatura morte prevenirer.* Quum ab eo Renatus nummum aureũm, ut de hoc medicum ſumeret experimentum, exquiſiiſet, *an neſcis*, reſpondit (2), *& me neque nummulum habere, niſi ab illa* (nempe Conjuge) *petierim?* Ut vero filio moriger eſſet, ab ea petitum aurum impetraturum promiſit. Quod con-

(1) Exam. Syrup. p. 15.

(2) De Medic. purgant. quæ unicuiq. &c. p. 123. litt. B

conſilii non ex aliqua animi ſocordia, aut nimium ardenti in Conjugem benevolentia, ſed maturo prudentiæ ſenſu captum eſt. Quam enim diligenter rem omnem domeſticam curatura Conjux *virago* (1) eſſet, explorata ſatis ejus indole, emunctæ naris Vir jam tenebat (2). Ipſi quoque menſæ Caſſandra preerat (3), ut quid pransurus, aut cœnaturus eſſet, ignoraret penitus. Sic literarum ſtudio, omni perturbatione remota, pacifice operam potuit toto pectore accommodare, atque innatam confirmatamque tot annorum ſpatio diſcendi, ſcribendique cupiditatem explere.

§. XI.

Ejus in Deum pietas.

A Primis uſque vitæ ſuæ temporibus ſummam erga Deum pietatem enixe excolendam ſibi ſtatuit. Si non erat futurus probus, jure jurando firmavit ſaltem operam probis imitandis daturum. Sed ut probus tutius

(1) Exam. omn. oleor. p. 218.
(2) Exam. Syrup. p. 15.
(3) Exam. Trochiſc. p. 9.

tius evaderet, multum pſallere, multas interdiu preces recitare, multis quotidie Sacris intereſſe, Virginis officium, imo etiam magnum, ut dicitur, legere, & ſancta Penitentiæ & Euchariſtiæ frequentare Sacramenta ab adoleſcentia inſtituit. Sed quum ſe nimium Religioſis hiſce occupationibus præpediri animadverteret, quominus ſtatus ſui munere exacte fungeretur, ab incœpto ex parte deſtitit, ut diſcipulorum inſtitutioni & ægrorum neceſſitatibus & familiaribus curis ſe melius daret. *Hoc non minus benefacere*, ajebat, *quam pſalmos cantillare* (1). Eadem animi contentione, ut naturæ ſuæ vitia expoliaret, virtuteſque Chriſtiano viro dignas indueret, ſicuti inferius patebit, ſemper curavit. Vitam Chriſti Domini italice ſcripſit (V.I.) in qua rectis Chriſtianæ vitæ agendæ regulis ſe inniti, difficiliores quaſdam ſectari virtutes, nil amplius quam Deo frui, quam ſecum perpetuo eſſe, in votis habere teſtatur. Quare *vir & morum ſanctitate & eruditione non vulgari inſignis* (2) ab Amato Luſitano merito appellatus eſt, & a Joanne Baptiſta Pigna (3).

Vir-

(1) Exam. Pilul. p. 15.
(2) Comm. in Dioſcor. lib. 1. p. 7.
(3) Carm. lib. 2. p. 48.

Digitized by Google

Virtute cunčta metiendo moribus
Nil inquinatis integer

§. XII.

Ejuſdem ſolicitudo in liberorum animos tum moribus, tum literis imbuendos.

QUamquam rerum domeſticarum in Caſſandram conjugem onus rejeciſſet, tamen ad liberorum animos *tum moribus, tum literis optimis* (1) inſtituendos fuit & miræ ſolertiæ & induſtriæ, & ut ipſi eruditiores in literis fierent, nullis conſtituit expenſis parcere: *Ego intra me decrevi* (ita ex ejus (2) ſcriptis) *natos meos bonis literis primum inſtituere, deinde per diverſas Mundi partes relegare, ut per varia regna, & provincias evagati ſapientiores revertantur*. Quo ſane optimo conſilio ad maximam filii evehuntur ſapientiam, & ad ſummos dignitatis, ac honorum gradus iis aditus patet. Piæ Patris induſtriæ maximum filiorum ſtudiis incrementum attulerunt. Renati filii natu maximi, ut is a puro humanas literas hauriret fonte,

(1) Bonus Præf. ad Ind. Gal. cit.
(2) Exam. ſimpl. Med. §. De Terr. p. 582.

te, voluit Genitor contubernalem eſſe excellentiſſimum ac probiſſimum Virum Marcum, non Cretam ut Baruffaldus (1) evulgavit, ſed *Marcum Catarozum* ex inſula Cretæ. Huic dum Doctoratus inſignia præberet Antonius Muſa, agnomen addidit, Parthenium ſcilicet, *ut deinceps vocatus ſit Marcus Catarozus Parthenius* (2). Inſtructus Renatus, & Philoſophiæ ac Medicinæ laurea inſignitus in Patria Univerſitate, annos licet viginti tantum natus, ingenio tamen & doctrina præſtans publicus Lector evaſit. Vix quinto ætatis ſuæ luſtro attacto Henrici II Franciæ Regis Archiater conſtitutus eſt, ut ex Regio Diplomate Nonis Maii Anno MDLIV dato liquet. Demortuo Antonio Muſa Patre Hercules II Dux IV, & dein Alphunſus II Dux V ex multis doctiſſimis Medicis, quorum ſemper plurimos aluit Scientiarum nutrix Ferraria, Renatum filium, ut eorum vitæ incolumitati famularetur, delegerunt, & perhonorifico ſtudiorum Moderatoris muneri, loco Patris, ſuffecerunt. Maximiliano II Imperatori, ut de aliis ſileamus Principibus, carus maxime fuit *propter eximias præſtan-*

(1) Coment. cit. §. 37. p. 151.
(2) Braſ. De Medic. purgant. &c. p. 58. litt. B

ſtantiſſimaſque animi dotes, moderatos temperatoſque mores, atque imprimis Medicinæ optimarumque Artium abſolutam cognitionem &c., ut Imperiale declarat Diploma (1) Vindobonæ datum V Calendas Septemb. Anno MDLXV. In eo Comitis Palatini titulus Sacri Lateranenſis Palatii, Aulæque Cæſareæ Renato datus legitur. Sicut paternæ ſapientiæ, ita & ſummæ in rebus medicis auctoritatis hæres evaſiſſe viſus eſt. Præſtantiſſimi Medicinæ cultores ab eo dubiis in caſibus arduiſque conſilium exquirebant. Variæ adhuc extant conſultationes ab Urbini Ducis, & Rodulphi II Imperatoris primario Medico Chriſtophoro Guarinono (2) cum Renato habitæ. In hiſce *Vir doctiſſimus* appellatur; & cum ad Sereniſſimum Ferrariæ Ducem de Sorore ejus ægrotante verba faceret Guarinonus, hæc habet: *Ipſa excellentiſſimum Braſavolum vehementer cupit*. Hippolitus Boſcus Philoſophus, Medicus, Anatomicus & Chirurgus Ferrarienſis, ac in patrio Archilyceo publicus Lector *excellentiſſimum Virum* (3) vocavit Renatum, cujus in bibliotheca Cæſa-

(1) Baruffald. Coment. cit. p. 152.

(2) Conſil. Med. 267. 284. 334. 413. 414. 415. 416.

(3) De Facult. Anatom. Lect. 4. p. 43.

rea Vindobonæ, notante clariſs. Joanne Maria Comite Mazzuchelli (1), aſſervatur conſilium pro Ferdinando Archiduce Auſtriæ renum calculo laborante. Calendis Octobris hora ſexta noctis Anno MDLXXVI eo extincto annorum ſeptem ſupra quadraginta, Hieronymus Frater Alphunſi II Ducis V Medicus delectus eſt primarius. Singularis Vir fuit doctrinæ & inter ſummos Auctores, qui *medica facultate ſuis & laboribus & voluminibus amplificata, magnam ſibi apud nos, poſteroſque noſtros nominis celebritatem compararunt* a Pio Ænea Caprilli Ferrarienſi (5) collocatus. Medicinam in patrio Archigymnaſio docuit, & quum literarum græcarum ſcientia diſertiſſimus eſſet, has quoque ibidem profeſſus eſt (3). Multis tandem muneribus ac honoribus dives III Idus Octobris MDXCIV anno octavo ætatis ſuæ & quinquageſimo, Menſe octavo & die undevi-

(1) Gli Scrittori d'Italia Vol. 2. Part. IV. p. 2031., & ſeq.

(2) De Febrib. Præf. ad Lect.

(3) Hoc ex veteri picta tabula ejus imaginem referente nos didicimus. Ea penes D. Octaviam Ugolini Mantuæ aſſervatur, in qua hæc lego: *Hieronymus Braſavolus Muſæ filius Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Medicus Ducalis, Lector Medicinæ ordinarius, & linguæ Græcæ extraordinarius.*

Digitized by Google

vigeſimo vita deceſſit. Poſteris reliquit *De offitiis medicis* libellum, typis Benedicti Mammarelli Ferrariæ impreſſum Anno MDXC, recuſumque, notante Morerio, MDXCIX in 4, & *in primum Aphoriſmum Hippocratis expoſitionem* in 4. Plurimorum hic duo patent Scriptorum errores. Unus ſcilicet cum hanc Hieronymi filii expoſitionem tribuant Antonio Muſæ Patri. Alter dum opus, quod nunquam compoſuerat, tradunt Hieronymum edidiſſe. Antonio Muſæ patri poſt Vander Linden (1), Merchklinum (2), Joannes Jacobus Mangettus (3), Borſettus (4), aliique hanc *in primum Aphoriſmum* expoſitionem aſſignant. At omnes hallucinantur; in operis enim fronte cubitalibus literis legitur: *Hieronymi Braſavolæ Muſæ filii, Medici Ducalis ac Philoſophi Ferrarienſis in Aphoriſmum I Hippocratis Expoſitio ad Sereniſſimam Principem Margaritam Eſtenſem Ferrariæ Duciſſam* &c. *Ferrariæ apud Benedictum Mammarellum Typographum Epiſcopalem MDXCIV*: In opuſculi vero calce legitur MDXCIII.

(1) De ſcript. Med. in verbo Ant. Muſ. Braſav.
(2) Linden. Renov. p. 77
(3) Biblioth. Script. Med. &c. T. I. P. I p. 462.
(4) Hiſt. Stud. Ferrar. P. II. Lib. II. p. 133.

Alterum in errorem una cum prædictis Scriptoribus (præter Borſettum, qui tamen & ipſe (1) *expoſitionem primi Aphoriſmi primæ particulæ* Hieronymum exaraſſe falſo tradit) lapſi ſunt Libanori (2), Baruffaldus (3), Morerius (4), Petrus Bayle (5), & F. Vincentius Coronelli (6). Typis ejuſdem Mammarelli anno MDXCV Hieronymum commiſiſſe *in I Aphoriſmorum librum expoſitionem* in 4 falſo ſcribunt: Numquam enim tale ſcriptis conſignavit opus Hieronymus, & multo minus eo aſſignato anno, quo jam fato ceſſerat, prælo ſubjecit. Primum tantum Aphoriſmum, ut vidimus, non primum Aphoriſmorum librum, neque primi Aphoriſmi primam particulam, ut ait Borſettus, explanavit. Scriptorum Italicorum collector Comes Mazzuchellius Patri æque ac Filio idem tribuit commentitium opus, expoſitionem ſcilicet *in I Aphoriſmorum Hippocratis librum* annis MDXCIV, & XCV, ut ait, excuſam, licet, quum de Antonio Muſa loqua-

(1) Ibid. p. 176.
(2) Ferrara d' oro P. 3ª p. 160.
(3) Coment Iſtor. cit. p. 154
(4) Le Grand Diction. T. 2. in verb. Braſav.
(5) Diction. Hiſtorique, & Critiq. T. I. p. 665.
(6) Bibl. Univerſ. &c. T. 6. p. 1096.

Digitized by Google

quatur, dicat Petrum Bayle opinari hoc commentarium non Patris, ſed Filii opus eſſe; ſed Scriptoris venia nullam mihi excitat dubitationem Bayle de expoſitione *in I Aphoriſmorum librum*, quam Hieronymo palam tribuit, licet falſo, ut vidimus. Scribit tantum Mercklinum in Lindennio renovato aſſignaſſe Patri *in I Aphoriſmum* commentarium, quod ſuo judicio & juxta Indicem Bibliothecæ Oxonii labor eſt Filii. Hoc liquido patet legentibus Bayle, cujus hæc ſunt verba (1) *Jerôme Braſavolus ſon fils .... publia quelque choſe. Une expoſition du I Livre des Aphoriſmes d'Hippocrate* (quod repeto falſum eſt) *imprimée à Ferrare l'an* 1595 *in* 4.... *Je trouve dans Lindennius renovatus un Commentaire ſur le prémier Aphoriſme d'Hippocrate, imprimée à Ferrare l'an* 1594, *& attribuée à Antoine Muſa Braſavolus. J' aime mieux croire que c' eſt un Traité de Jerôme Braſavolus, comme on le marque dans le Cathalogue de la Bibliothéque d'Oxford*. Item ſcripſit Hieronymus *Tabulæ Logicæ* in fol. opus, quod apud Flavium Querengum Patavii M. S. adſervabatur, quodque Comes Mazzuchelli (2) ab ille

(1) Diction. cit. loc. cit.
(2) loc cit. p. 2029.

Digitized by Google

illo minime diverſum exiſtimat, quod apud Ægidium a Fabra olim in Patria Ferrarienſi Univerſitate Primarium Medicinæ Profeſſorem doctiſſimum vidit ſub hoc titulo *Arbor totius Logicæ Facultatis* Ferrantes Borſetti. *Lectionum Ateſtinarum libri duo ad Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Sororem Eleonoram Eſtenſem* in fol. ab eo italica lingua pariter conſcripti ſunt. Joannes Franciſcus quoque, & Hippolitus Antonii Muſæ filii, licet aliis in artibus, non mediocriter tamen floruerunt. Prior Rhetoricis & Poeticis inſtitutionibus operam dedit, & quamquam triceſimo ætatis ſuæ anno immatura morte ſublatus fuerit, inter præſtantiſſimos ſui ævi Rhetores recenſebatur. Extant etiam de illo poeticæ nonnullæ ſcriptiones, quarum aliquod nobis ſpecimen dedit clariſſimus Baruffaldus (1). Alter in Philoſophia, Medicina, atque in utroque Jure laurea donatus utrarumque Facultatum fuit in Patria Lector (2). Quare, licet

(1) Coment. cit. p. 185.

(2) Ibid. p. 186. Ferrantes Borſettus duos recenſet Hippolitos Braſavolos primum (Hiſt. Gymnaſ. Ferr. T. II. p. 186.) ſcilicet Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem, ac in Rotulo Anni 1562 Lectorem; alterum (ibid. p. 197) Juris utriuſque Doctorem, & publicum extraordinarium Lectorem anno 1573, & hunc Antonii Muſæ filium fuiſſe autumat. At in

Digitized by Google

licet in diverſa ſententia, illud a Craſſo dictum merito poſſumus uſurpare: Sapientiam & induſtriam Patris filiorum quoque doctrina comprobavit.

§. XIII.

Naturam bilioſam immutat.

EGregias animi dotes natura in primis ardens, & iracunda, quam ſortitus erat, non nihil deturpabat. Nequibat quicquam vel minimum pati, ſubitis iræ ſtimulis acuebatur, exardebat ex iracundia vultus, emicabant oculi, ac vindictam ſpirare videbatur (1). Vix ſe tanto animi æſtu commoveri ſenſit, ægre tulit; atque omni ope contendit, ut ſe deinceps contineret. Pueritiæ adhuc ver agebat, nec ſatis animi cupiditates, & illecebras internoſcere poterat, jamque compeſcere ſtudebat. Divinam ſuppliciter opem enixe implorabat, ut ad frugem

in tota gentilitia Braſavolorum Arbore; quam ipſe Baruffaldus perhibet, nullum alium Hippolitum præter unicum Antonii Muſæ filium deprehendimus; hinc cum Baruffaldo utroſque Hippolitos in unum copulamus.

(1) Braſ. Exam. Pilul. p. 13.

Digitized by Google

gem ſe bonam tandem reciperet, ſuiſque poſſet motibus imperare. Vim ſibi continuam intulit, pueriles contumelias diſſimulabat, & quas ſibi injurias fieri ſenſerat beneficiis rependebat. Brevi naturam immutavit ſuam, ut nihil illi contingeret, quod veluti ex voto (1) non perageretur. Quanam animi moderatione ſe geſſerit, cum domum ſuam repentino conflagrare incendio audivit, jam vidimus. Nemo alienam comburi pacatiore animo tuliſſet, ac Braſavolus ſuam. Ut autem omnibus, in arte aliqua præſtantibus, commune eſt, ut in invidiam obtrectatorum ſuorum, qui plurimi virtuti adverſantur, incidant; ita & Braſavolus multorum odia & ſimultates non fugit. At alter in eo Plato apparebat, cui cum multa ab Xenocrate in eum jaci maledicta renunciaretur (2) *ea*, reponebat, *Xenocrates fide ac gravitate pollet; ut niſi ſic expedire judicaſſet, dicturus ea numquam fuiſſet*. Ita & de ſuis detractoribus ſentiebat Braſavolus (3) de iis aſſerens: *Hi forte, qui de me obloquuntur, magis me cognoſcunt, quam vos faciatis*. Ex his in-

(1) Exam. Pilul. p. 14.
(2) Marſil. Ficin. in vita Platon. Oper. T. 2. p. 767.
(3) Exam. Pilul. p. 17.

Digitized by Google

inſurrexit quidam, qui & in publicis ſcholis de Braſavolo ſtulta prædicabat, quamvis paullo ante non mediocribus ab eo exceptus fuerit officiis. Alii ex publicorum Profeſſorum albo ab Principe expuncti, Antonium Muſam incuſantes, facta conſpiratione, huic dictis factiſque continua inurebant convicia, cui, ſi patuiſſet aditus, ſæviore in dies intumeſcente rabie, damnum etiam inferre voluiſſent. Braſavolus contra inſolitis eos celebrare laudibus, multos ex ipſis afficere beneficiis non modicis, fuſiſque ad Deum precibus exoptare, ut radius iis aliquis divinus affulgeret, cujus beneficio diabolica diſcuſſa caligine ab errore tandem ſuo reſcipiſcerent (1). Itaque effectum eſt, ut peſſimi oblocutores ex Braſavoli benedictis & benefactis inſignes per totam Urbem digito monſtrarentur infames (2). Sic unius manſuetudo multorum dèvicit obtrectationem: *Nullum enim ſapientem nec injuriam accipere, nec contumeliam poſſe* a morali Philoſopho Seneca (3) probi omnes norunt. Injurias quippe obliviſci intelligebat Antonius Muſa

(1) Ibid. p. 16.
(2) Ibid. p. 7. 8.
(3) De Tranquill. anim. cap. 2.

Muſa magni animi eſſe, pravamque ultionis cupiditatem non niſi in puſillorum pectore reſidere. Ita Juvenalis ſcripſit (1).

. . . . quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi exiguique voluptas
Ultio.

Et illud ſibi in mentem penitus defixerat, quod & ſcriptis mandavit (2) *ad hoc*, ſcilicet, *nati ſumus, ut totis viribus aliis omnibus obſecundare conemur, & nemini unquam injuriam inferre*. Quamobrem maledicentium voces, licet infenſiſſimas, penitus deſpicere, omnemque Deo injuriarum ſuarum curam remittere, uti Virum Chriſtianum decet, a prima (3) uſque ætate aſſuevit. Hæc tamen cum primum Braſavolus exercenda ſuſcepit, non mediocria reluctantis naturæ certamina expertus eſt, pugnis tamen, cum res exigeret, repetitis, victoriiſque, Deo favente, familiaris facilius Rationis imperio (4) obſequi juſſit rebelles ſenſus. Ita brevi eo pervenit, ut vix in adverſis doleret, vix lætaretur in proſperis, brevique, dum hæc monu-

(1) Satyr. XIII.
(2) De Med. Cathart. quæ unicuiq. &c. p. 62, lit. C
(3) Exam. ſimpl. Med. §. De Fructib. p. 327.
(4) Exam. Pilul. p. 17.

Digitized by Google

numentis tradebat, ſe ab his effectibus non amplius commotum iri (1) in ſpem adducebatur. Præſervida hunc in modum debellata natura una cum Caſſandra Uxore, etſi & ipſa fervidiſſimum nacta eſſet ingenium, vitam adeo tranquillam duxit, ut nullus vel Religioſarum cœtus, ipſo ſcribente (2), pacatior deprehenderetur. Eadem hac animi, qua Braſavolus, fortitudine præcinctum Cæſarem Deo æquiparabat Romanus Orator (3): *Verum animum vincere, iracundiam cohibere ...... hæc qui facit, non ego eum cum ſummis Viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico.*

§. XIV.

Braſavoli modeſtia, & humanitas.

AB inſolentia gloriæ, quæ viros in litteris illuſtres non raro titillat, abfuit ſemper; nam etſi magnorum Principum tutela frueretur, ut plurimum tamen, Hieronymo filio (4) teſte, *in ſuis lucubrationibus ali-*

(1) Ibid. p. 19.
(2) Exam. Syrup. p. 10.
(3) Orat. pro Marcello.
(4) Exam. Troch. Epiſt. nuncup. p. 5.

alicui Principi inſcribendis negligens erat, & ſinebat abſque tutore in publicum emitti: quamvis enim egregium aliquod opus alicui Principi, aut nobiliſſimo Viro (uti mos eſt) nuncupare *res profecto a nemine, qui mentis compos ſit, detrectanda*, tamen ajebat (1) ipſe, *illud nos ab incœpto repellit, ne videamur partus noſtros egregios putare: quos potius abortivos, & prociduos arbitramur*. Eadem modeſtiæ cauſſa nunquam Archiatrum, neque publicum Profeſſorem, aut Equitem, ſe dixit, ſed ſuas, omnibus ſuppreſſis titulis, in lucem emiſit lucubrationes, nihilque ultra, quam *Medicum Ferrarienſem* ſe appellavit. Parvi laudes ſuas pendebat (2). Nihil in inceſſu arduum, nihil in ſermone elatum, nihil in honoribus appetendis ſtudioſum inventum in eo fuit. Amatus Luſitanus, qui per ſeptennium, quum apud Ferrarienſes verſaretur, eo uſus eſt familiariſſime, ejus humanitate mirifice delectabatur (3). Qua erga omnes eum uti ſolitum *abſque perſonarum diſtinctione* refert Jacobus Antonius Bonus (4), quo

cum

(1) Exam. Syrup. Epiſt. nuncup. ad Eleon. Eſtenſ. p. 3.

(2) Exam. Pilul. p. 19.

(3) Comm. in Dioſcor. lib. 1. p. 14.

(4) Præf. ad Ind. Gal. cit.

Digitized by Google

cum vixit libentiſſime. Ægris præcipue, quicumque ii eſſent quos conveniret, in primis comis, & facilis exhibebatur. Sciebat nil magis Medicum commendare, quam humanitatem, qua & omnium ſibi devinxit animos & benevolentiam, adeoque *inſtitui*, ipſe (1), ſcribit, *ab initio & prodeſſe ægris & placere*. Quanam igitur de cauſſa de eo ſcripſerit Baruffaldus, ardenti laudis humanæ ſtudio abreptum fuiſſe (2) ſane non video. Scio equidem famæ ſuæ ſtudioſum, tum in inſtituenda vitæ ratione, tum in operibus ſuis concinnandis maxime enixum eſſe, ut *peſſimis* (ut ipſe (3) ajebat), *ac conſpurcatis linguis anſam maledicendi* auferret. At hoc idem cæteri Viri probi ſtudent, nec ideo ac ſi humanas captare laudes quærerent, ſunt criminandi. Quaino petenti, an publicæ dignitatis gradum aliquem exoptaſſet, reſpondit (4): *Deus eſt teſtis, quantum ab ambitione abſim, neque opus eſt hæc me ambire, ut qui (abſit jactantia) ex me ipſo glorioſus ſim, & per totam Europam notus, ut alias prætercam or-*

I *bis*

(1) Exam Syrup. p. 21.
(2) Coment. cit. p. 13. & 146.
(3) Exam. ſimpl. Med. p. 327.
(4) De modo Jur. dicend. p. m. 719.

Digitized by Google

bis partes. En Viri ſuperbiam! Quam utinam ſtuderet quiſque!

§. XV.

Ejus liberalitas.

NEc minus ab avaritiæ ſordibus intactum, & a lucri cupiditate alienum ſe præbuit. Quod Hippocrates, cujus mihi videor vitæ & doctrinæ hiſtoriam ſcribere, Abderitis dixit, paſſim ab eo uſurpabatur. Quum Hippocrates, ut Democritum ad ſtupiditatem, ut ajebant, prolabentem curaturus Abderam pergeret, magnis gloriæ, pecuniarum, famæque promiſſis vocaretur, Senatui populoque Abderitarum hoc dedit reſponſum: *ἀργύρειον δὲ μοι ἐρχομένω, οὔτ᾽ ἂν φύσις, οὔτ᾽ ἂν θεὸς ὑπόσχοιτο. ὥστε μήδ᾽ ὑμεῖς ἄνερες Αβδηρεῖται βιάζεθε, ἀλλ᾽ ἐᾶτε ἐλευθέρης τέχνης, ἐλεύθερα καὶ τὰ ἔργα. οἱ δὲ μιθαρνεῦτες, δουλεύειν ἀναγκάζουσι τὰς ἐπιστήμας. ὥσπερ ἐξανδραποδίζοντες, αὐτὰς, ἐκ τῆς προτέρης παῤῥησίης*, ideſt *Argentum autem mihi venienti, neque natura, neque Deus promittere poterit. Quare neque vos viri Abderitæ cogatis: ſed liberæ artis etiam opera libera eſſe ſinatis. Qui vero mercedem capiunt, hi ſcientias ſervire cogunt,*

velut

Digitized by Google

velut captivas facientes ipſas ex priore libertate, literaſque his abſolvit verbis : οὐ καρπουμαι δὲ νούσους, ſcilicet *non cupio aurum ex morbis*. Braſavolus vero innumeris, ut ita dicam, ægrotantibus quotidie præſto erat, quin ullum ex iis ſtipendium expectaret, aut vellet. Quum, teſte Amato, *ſingulis annis quingenti ſupra mille eſſent* (1) *abſque perſonarum diſtinctione humaniſſime inviſebat, curabat, ſanabat, ab inferis propemodum revocabat*, ut ſubdit Jacobus Antonius Bonus (2). Quibus ipſe in Jeſu Chriſti vita, quam exaravit, caritatis Chriſtianæ tantum deſiderio Artem exercere (3) pie fatetur. Sed eo ſua, qua præſtabat maxime, liberalitas (4) progrediebatur, ut quaſi alter Pythagoras, Philoſophiæ *Italicæ* Princeps, qui, referente Diogene Laërtio (5), *amicorum omnia communia* dixit, ſua etiam omnibus, qui indigebant, communia faceret. Seni enim in Dialogo de Oleis ſciſcitanti, an pro ſe filiiſque ſuis aliquam aſſervaſſet partem olei de Momor-

(1) Comm. in Dioſcor. lib. 3. p. 293.
(2) Præf. ad Ind. Gal. &c. cit.
(3) lib. 4. in princip.
(4) Exam. Syrup. p. 15.
(5) De Vita Philoſ. lib. VIII.

Digitized by Google

dica, quod triginta ante annos paratum, ac in cella vinaria antiquæ domus defoſſum caſu detectum fuit, repoſuit Braſavolus: *nunquam negare poſſem præſidium, quod haberem, alicui affecto, ſed ut ſemper feci, deinceps ſemper efficere ſtatui, omnia mea eſſe omnibus probis viris communia, & præſertim præſidia ægregia, ac generoſa* (1). Et revera, cum magnum hæmorrhoidali affectu laborantibus levamen fuerit, brevi quamplurimis expoſtulantibus interfectum fuit. Ad hæc accedit, fuiſſe neminem, qui famulos, & ancillas amplioribus conduceret ſtipendiis: magnum autem ex iis numerum alebat, nam patriis bonis abundanter ditatus

Cui ſunt opes, agris, & ære, & ædium
Tectis ſuperbis uberes

ut clariſſimus Pigna cecinit (2), & ſingulis præterea annis mille aureos (ingentem tunc temporis auri ſummam) ex arte Medica hauriens (3) multa proinde famulorum, & equorum mulorumque commoditate præſtabat (4). Famuli autem licet ampla conducti mercede etiam ſuis temporibus, noſtris ſimiles

(1) Exam. omn. oleor. p. 399 & ſequ.
(2) Carmin. lib. 2. p. 48.
(3) Exam. omn. oleor, p. 221.
(4) Ibid. p. 215. & aliis in locis.

Digitized by Google

les erant; ſervi enim omnes, ut Cicero (1) dixit, *improbi ſunt*; in homines quippe & mulieres beſtiis ipſis proterviores ſe quotidie incidere conquerebatur (2).

§. XVI.

Antonii Muſæ ſtructura & temperamentum.

ALta ſed apta ſtatura, & habitu corporis craſſo, ac pingui a natura efformatum fuiſſe ex ipſo diſcimus: *mihi enim, cui craſſæ inſunt nates* (inquit), *ſatis erit ſupra ſcamnum ſedere* (3), & pluribus in locis faſſus eſt, cum ſua eſſet jam confirmatus ætate, creſcere, *ut cucumeres in latus & in ventrem* (4). Clarus ei vultus, rariſque obtectus pilis erat & nitidus, ac ampla frons: Oculi pellucidi cæruleo tingebantur colore, ut ex pictis ejus imaginibus conjicere eſt. Ei proſpera ac ſecunda valetudo ita a Deo donabatur (5), ut ipſe jam quinquageſimo ætatis ſuæ anno exacto ingenue fateretur, hos

(1) Paradox. V.
(2) Braſ. ibid. p. 217.
(3) Exam. Electuar. p. 40.
(4) Exam. Trochiſc. p. 8.
(5) Ibid. p. 9.

natum annos invidiſſe neminem (1). Quibus omnibus Pignæ quoque teſtimonium additur (2).

Valens, & acer, artubuſque, & robore
Formæ decentis admodum

Ab immodicis tamen ſtudiis ſtomaco ſenſim debilitari ſentiebat: *Nam in me ipſo*, ait, *cibi facile in flatus commutantur, præſertim cum vehementer literis incumbo* (3). Nec mirum; qui enim ſtrenuam ſtudiis navant operam, cruditatibus, ingenti flatuum copia &c. corripi Bernardino Rammazzino teſte (4), & quotidiana rerum experientia edocemur. Hinc aere, ſumma æſtate, fervente continuo in ægris inviſendis labore, magna eum nonnunquam capiebat anorexia. Cui ut præſto eſſet pinguiſſimos capos ad jus nutritioni aptiſſimum conficiendum aſſervabat. Hac tantum ex cauſſa de tegetis ſuæ incendio queſtus tantillum eſt, quod pinguibus ſuis capis ſcilicet privaretur. Flammarum enim & hominum ſtrepitu perterriti in proximas domos evolarunt, quorum ne caput quidem unum,

(1) Ibid. p. 196.
(2) Carmin. lib. 2. p. 48.
(3) Comm in Hipp. de Rat. Vict. in morb. acut. &c. lib. 1. p. 30 col 2. lin. 16.
(4) De Morb. Artif. cap. De Litterat. morb.

Digitized by Google

unum, expoſtulantibus ancillis, redditum fuit (1).

§. XVII.

Ejuſdem vivendi norma.

LIcet victus comparandi provincia Caſſandræ conjugi demandata eſſet, ut ſupra (X) diximus, menſa tamen ſemper exquiſitis, copioſiſque ferculis inſtruebatur, ut laute prandere & cœnare poſſet. Fructibus, quod ei mediocriter ſapiebant, pauciſſimis (2) veſcebatur. Peponibus ipſis, qui cæteroquin lubricam illi alvum reddebant, utebatur modice: *& mihi etiam*, ait, *lubrica* (alvus) *efficitur, dum pepones vigent, quamquam in modica copia ſemper pepones edam.* Cui Renatus filius reſpondet: *nunquam te vidi pluſquam bucellam edere.* Subdit autem ipſe quaſi rem magnam dicturus: ***Plerumque ſi ſit optimus pepo bucellam cum dimidia eſito*** (3). Dulcia quaſi alter Democritus in deliciis habebat. Quum puer eſſet ætate ſacchari can-

(1) Exam. omn. oleor. p. 215. & ſeq.
(2) Exam. Trochiſc. p. 10.
(3) De Med. Cathart. &c. p. 94. litt. B.

nas a quodam Mercatore Hiſpano unius oboli pretio in foro emptas (1) exſugebat libenter. Quod vero Democrito ſapiebat maxime, plurimum illi oberat, mellis ſcilicet uſus. *Mihi vero*, fatetur ipſe, *cui mel obeſt, uxor mea jubet ex ſaccharo fieri, & paſſulis nonnihil Cinamomi addito* (2). Caſeum, licet exquiſitæ indolis, vix deguſtabat, integro anno nec ſemilibram conſumpturus (3). Sæpius inter cibos bibere conſueverat. *Scis me*, ita cum Renato loquitur, *poſt quatuor aut quinque bolos dum prandeo, & cœno modice bibere, & hunc ſemper fuiſſe meum morem, tamen cum eſſem juvenis non ſolum non habebam lubricam alvum, ſed erat valde adſtricta, nam ſingulis ſolum quatuor, aut quinque diebus excernebam, ratio tamen dictat, alvum mollem fieri oportere, quia craſſa tenuibus miſcentur, verum ne hoc quod dixiſti abſque Authore eſſe putes Plinius author eſt, cum ait, mollire alvum conducit inter cibos bibere* (4). Vinum autem plurima miſcebat aqua, ut illi jure Renatus objicere potuerit: *quale judicium de vino habere*

(1) Exam. ſimpl. Med. §. De ſucc. prædenſ. p. 443.
(2) De Med. Cathart. &c. p. 103. litt. C.
(3) Ibid. p. 100. litt. A.
(4) Ibid. p. 114. litt. D.

here potes, cum illud non diluas modo, ſed perluas ac jugules (1)? Contra ſuavis illi erat, atque jucunda ptiſana, qua, cum egregie illam domi ſuæ pararent, pro minutali vulgari farris loco utebatur (2) frequentiſſime. Nullis enim in ſanitate tuenda medicis ſerviebat regulis, ſed, quæ magis ſaperent, uſurpabat cum Celſo aſſerens, hominem ſanum ſuæ ſpontis eſſe debere (3). Sed utinam ciborum potius qualitatem, quam ſapiditatem ſectatus eſſet! Sanis enim corporibus *malus eſt ptiſanæ uſus ad vitæ longitudinem*, ut Hieronymus Cardanus (4) docet, qui de Braſavolo miſerans ait: *cum ferme continuo ptiſana uteretur, primum ſenium adimplere non potuit*. Aſſerebat hinc Hippocrates: *Cibaria imbecillia brevem efficiunt vitam*. Quibus re ipſa ſunt valida viſcera, univerſis ex quotidiana experientia Doctoribus conſentientibus, mollia, humida, tenuia, levia obſunt alimenta; horum enim partes inter ſe adeo laxe cohærent, ut brevi actione ſeparari, ſubi-

(1) Ibid. p. 72. litt. D.
(2) Comm. in Hipp. De Rat. Vict. in morb. acut. &c. lib. 1. p. 72 col. 2. lin. 21.
(3) Exam. Trochiſc. p. 10.
(4) De Sanit. tuend. lib. 2. cap. 8. p. m. 127.

Digitized by Google

bigi, & expelli queant (1). Vacuo interea ventriculo, cum nihil, in quod agat, intrinſecus ſit, homo rurſus famelicus animo fere liquitur, atque a vel tenui tandem diæta pereditur. Quam ob rem Antonius Muſa valido corporis donatus habitu, levibuſque brevi ſubigendis aſſuetus, hora prandii aliquantulum protracta, ſe ingenti debilitate, tremore, animi defectu corripi, in iram excitari, ut os illi penitus amareſceret, ægreque ſpiritum duceret, ſentiebat. Ergo jejunia, quibus vitæ ſuæ, ſuiſque viribus nil noxius, nihilque perículoſius eſſe compererat (2), fere nunquam agebat.

§. XVIII.

Ejus obitus.

TAli pacto ſuam Antonius Muſa inſtituit vitam, atque perduxit. Qua honeſtiſſime acta cum annos quinque & quinquaginta, Menſes quinque, dies viginti exegiſſet; ideoque ad Annum MDLV non minus dignitate, quam gratia, fortunaque creviſſet, Ferrariæ omnium mœrore pridie Nonas Julias, die Sabati, hora viceſima tertia cum

(1) Hipp. ſect. II. aph. 18.
(2) Braſ. Exam. Trochiſc. p. 11.

Digitized by Google

cum dimidio, ut Chriſtianum virum decebat, coram Deo reddidit Animam. Longo fuiſſe morbo afflictum ex eo conjectura aſſequi poſſumus, quod VI & IV Idus Maii Nicolai Savonæ opera duos condiderat Codicillos. Id fortaſſe Ægrotus preſtitit mortem jam adventantem ſentiens. Si illius vividam adhuc ſpectemus ætatem, ejuſque corporis robur, ejus quidem mors minime tunc erat pertimeſcenda, ut cecinit Pigna (1).

Et cui ſenectus eſt futura lenior
Ut corpus, ætas indicat

ideoque immature nobis ſublatum fuiſſe merito querimur. Si miram ejus doctrinam, animumque ſcientia, & quacumque alia ad proximorum commoda promovenda ſupellectile inſtructum intuemur, *Braſavolum virum longiori vita dignum* cum Amato Luſitano (2) pronunciamus. Si vero famæ, nominiſque ſibi partam celebritatem perpendimus, eum, in florenti adhuc conſtitutum ætate, ad extremum uſque perveniſſe ſenium cum morali Philoſopho fatendum eſt. Nam *quicquid ad ſummum pervenit, ad exitum prope eſt. Eripit ſe, aufertque ex oculis perfecta virtus: nec ul-*

(1) Carmin. lib. 2 p. 48.
(2) Curat. Med. Centur. VII. Curat. II.

ultimum tempus expectant, qui in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulſit, citius extinguitur: vivacior eſt, qui cum lenta, difficilique materia commiſſus, fumoque demerſus, ex ſordido lucet: eadem enim detinet cauſa, quæ maligne alit: ſic ingenia quo illuſtriora, breviora ſunt. Nam ubi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt (1). Etſi autem ad extremum vitæ ſuæ diem oculos quotidie intenderet, ab anno tamen uſque MDXXXIII (magnorum ingeniorum more, quibus nunquam, ajente Seneca (2), *cara in corpore mora eſt: exire atque erumpere geſtiunt, ægre has anguſtias ferunt, vagi per omne ſublime, & ex alto aſſueti humana deſpicere*) Bartholomæi Franci opera Idibus Martiis teſtamentum ſuum conſcribi juſſit, ſe ad mortem ineundam diligentius parare cœpit. Non dubito, quin ea ſpe, qua ſe teneri dixit (3), jam beatæ gloriæ compos, minime exciderit, virtutum, laborumque ſuorum vicem æternam recepturus.

§. XIX.

(1) Seneca de Conſol. ad Marc. cap. XXIII.
(2) loc. cit.
(3) Exam. omn. oleor. p. 207.

§. XIX.

Parentalia ejuſdem.

VUlgata ejus morte ingens in Patria mœror eſt factus. Ea enim Ferraria ſemper fuit, quæ viros eximia virtute præditos magni ſemper habuit, ac vehementer ſuſpexit. Quod ergo Senatui, populoque Abderitarum de Democrito olim ſcribebat Hippocrates, de Braſavolo uſurpabo: *καὶ μακάριοί γε δῆμοι ὁκόσοι ἴσασι τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐρύματα ἑωυτῶν, καὶ οὐ τοὺς πύργους, οὐδὲ τὰ τείχεα, ἀλλὰ σοφῶν ἀνδρῶν σοφὰς γνώμας*; id eſt: *Et beati profecto ſunt populi, qui ſciunt bonos viros ſua eſſe munimenta, & non turres, neque muros, ſed ſapientium virorum ſapientia conſilia* (1). Dux Hercules tam acerbo nuncio audito vix lacrymas continuit de ſui amantiſſimi Archiatri jactura vehementer conqueſtus. Hic majori, qua fieri poſſet, pompa exequialia decrevit, & ipſe præſtantiſſimi Viri funus una cum Collegiorum cœtu comitari voluit, poſtremum de egregia ſua erga eum benevolentia argumentum futurum.

(1) In Epiſt.

rum. Inter Inſcriptiones, quibus Antonii Muſæ feretrum decorabatur, quamdam apud nobiles Braſavolos adhuc in Originali aſſervari refert (1) Baruffaldus. In ea ab Alexandro Guarino a ſecretis Herculis Braſavolo elogium inſcribitur, quod ſepulcro ſuo minime inſculptum fuiſſe dolendum ſemper erit. Illud eo, qui tunc vigebat, ſtilo elaboratum ad literam deſcribo

Artes, & Diſciplinæ,
Nunc vere liberales ad lacrymas:
ANTONIUS MUSA
Ingeniorum flos heu decidit!
Lugete Scientiæ, & virtutes omnes:
Quarum amor, & delicium abiit, dum Iſte obiit.
Aſtrea ſuam ingemit Trutinam,
Apollo ſuum deflet Æſculapium,
Et Chorus ipſe Apollineus ſuum deplorat MUSAM
Immo Ferraria, Inſubria, Italia, Europa, & Orbis
Suum lacrymantur
Patritium, Comitem, Equitem, Magiſtrum, & Sophum:
Plurima & Lycea ob Heroem Palladis ſuſpirant inſignem
Cui omniſcio
Patria, Aula, & Eruditorum Reſpublica
Doloris, & Amoris ergo
Parentant.

Pa-

(1) Coment. Iſtor. cit. p. 146.

Parentalibus magnifice abſolutis in antiquo Braſavolorum ſepulcro, ab Antonio noſtri Muſæ Abavo in Divi Andreæ æde extructo, humatus eſt.

§. XX.

Referuntur inedita M.S. Ferrariæ aſſervata.

BRaſavolus tot *volumina, tamque diverſi generis utilia conſcripſit, atque edidit, ut mirum ſit quo pacto Vir ille diligentiſſimus, qui ægrotis curandis aſſiduus eſt, tantumque temporis in aſſiduis lectionibus publicis conſumit, tot tantaque excogitare, ne dum ſcribere potuerit.* Ita, ut vidimus, Jacobus Antonius Bonus. Sed ſi longior illi etiam, Deo dante, vita contigiſſet, majori perculſus ſane fuiſſet admiratione, cum multa alia volumina, quæ jam confecerat, in publicam ad rei medicæ commodum lucem prodire conſpexiſſet. Clariſſimus Baruffaldus (1) varia inedita refert manuſcripta, quæ adhuc Ferrariæ aſſervari dixit, & ſunt:

I *Inſtitutiones linguæ græcæ* italico idiomate exaratæ

II An-

(1) Coment. Iſt. cit. p. 138.

II *Annotationes in I & II lib. Hippocratis de morbis acutis ſecundum Gal. Coment.* 1541.

III *Lectio de Cura Morborum* 1534.

IV *De Aſtm. Curat.* 1534. Tria hæc egregia Manuſcripta, ſi in clariſſimi Aloyſii a Fabra poteſtate erant de Republica Medica varias ob editas lucubrationes optime meriti, ac in patria Ferrarienſi Univerſitate tunc Profeſſoris primarii, nunc apud eximium Angelum nepotem Philoſophum, ac Medicum doctiſſimum, ac in patrio Athenæo Lectorem quoque primarium eadem extare conjicimus.

V *Commentaria in Pentateucum Moyſis*, quorum fragmenta apud Hæredes

VI *Conſultationes Medicæ*.

VII *Relationes Hiſtoricæ Civitatis Ferrariæ, & ſuarum gentium ad Renatam Ferrariæ Ducem*. Hoc perrarum M. S. italica conſcriptum lingua in Bibliotheca Sereniſſimi Mutinenſium Ducis latere putat Baruffaldus.

§. XXI.

§. XXI.

Alia edere meditabatur.

PRæter hæc Vir inter medicæ ſcholæ Principes illuſtris, ut verbis Joannis Imperialis utar (1), alia edere animo volvebat. In ſimplicium medicamentorum examine (2) pollicetur *De Ferrarienſibus herbis* volumen, quod jam diu cœptum ſignificat. Item *de omnibus herbis* ubertim diſſerere, & diſtinćte ſe meditari pluribus teſtatur (3) in locis. Quum ſub quovis cœlo eædem herbæ non æqualibus polleant viribus, ideoque juvet admodum, in qua provincia naſcantur, ſingillatim tenere, librum *de colligendarum herbarum temporibus* jam prope *umbilicum* pertraxiſſe aperit (4). In eo apta herbis, radicibus, ſeminibus, ac floribus colligendis docebat tempora, immo & quibus in locis quælibet herba inquirenda ſit, propriaſque vires magis exerat. Quo in loco de Aloe verba habens, a Sene rogatus, quid ſentiret de

K quo-

(1) Notti Beriche lib. 1. cap. XIX. p. 62.
(2) p. 142.
(3) Ibid. p. 130. præſertim.
(4) Ibid. p. 29.

quodam celeberrimo Viro Meſuem arguente, qui Aloen ora venarum aperire admonuerat, reſpondit (1): *Nunc iſtud diſcutere opus non eſt, nam de hac re alias copioſius ſcripturus ſum.* In examine omnium Suffuſ, ideſt Pulverum (2) de inteſtini recti exitu differens hæc habet: *De hoc inteſtini exitu ſuo agemus loco, quando exitus inteſtini recti curationem moliemur.* In annotationibus quoque in libros Hippocratis de ratione victus in morbis acutis tradidit (3) libellum *de Saporibus* cœpiſſe, Deoque adjutore, inquit, *illi libello ultimam manum imponam.* In tractatu de medicamentis tam ſimplicibus, quam compoſitis catharticis, quæ unicuique humori ſunt propria, hæc habet (4): *nos ſeorſum de menſuris antiquis mentionem faciemus, & una vice omnes interpretabimur, & una de ponderibus agemus:* & alibi (5); *non eſt hic locus de lactariis omnibus pertractandi, forte ſeorſum de unaquaque agam ſpecie in libello inſcripto de omnibus lactariis plantis, quæ apud nos reperiuntur, apud nos vero dixi, quia apud ignotos forte aliquæ ſunt la-*

(1) Ibid. §. de Succ. prædenſ. p. 454.
(2) p. 181. & ſeq.
(3) lib. 3. p. 10. col. 1.
(4) p. 15. litt. D.
(5) p. 134. litt. A.

Digitized by Google

lactariæ, ita nobis ignotæ, ut ipſimet ſunt nobis ignoti. Item Renato filio promiſit (1) libellum *de exhibendis medicamentis ſecundum humorum complicationem, & ita*, inquit, *medicamenta diſponere, ut nullus errare unquam poſſit, ſed medicamentum eſſet deſcriptum ut exhiberi deberet, & propterea mixta haberent ſimplicia, quæ medicamentum ducerent ad membra, a quibus humores educere oporteret*. Dum de Thermarum aquis ſermonem habuit, hæc protulit (2): *verum de his alias pertractaturi ſumus in libello, in quo de thermarum aquis verba faciemus*. In Muricis encomio, quod Examini Unguentorum præit, variarum viſionum cauſas Seni ſciſcitanti renuit explanare ſubdens, *de illis tunc agemus, cum de oculorum ægritudinibus verba faciemus* (3). Si hæc omnia Antonius Muſa Vir *magni judicii inter ſui temporis Scriptores*, ut ait Cardanus (4), abſolviſſet, nihil eſt quod illi Medicorum non deberet Reſpublica.

(1) Ibid. p. 219.
(2) Ibid. p. 126. litt. A.
(3) Exam. Unguent. p. 240.
(4) Comm. in Aph. Hipp. Sect. 3. Aph. 14

§. XXII.

Traditur Elenchus Scriptorum Antonii Muſæ.

MUlta tamen debet, quæ ut quiſque uno, ut ita dicam, oculorum ictu videre poſſit, elenchum ejus operum ſubjicio, eo magis gratam eruditis Lectoribus rem facturum confidens, quo plura in cathalogis ab aliis deſcriptis deſiderantur. Jacobus Antonius Bonus Medicus Ferrarienſis ſæpe memoratus in epiſtola, quæ Braſavoliano indici in omnes Galeni libros proludit, ſequentia notat.

1 Vita Jeſu Chriſti, italica lingua, in qua paraphraſtice quatuor Evangeliſtas interpretatur.
2 Dialogus, quod mors nemini placeat.
3 Muricis encomium.
4 De Cœna, & prandio.
5 De Temperie Ferrarienſis aeris.
6 De Laudibus Dialecticæ.
7 De ordine librorum Logicæ.
8 De Unitate Logicæ.
9 De ſuppoſitionibus ſecundum Antiquos.
10 Commentaria in Paulum Venetum.
11 In Porphyrii Phænicem.

12

Digitized by Google

12 Porphyrii Panoplia.
13 Commentaria in Predicamenta Ariſtotelis.
14 In librum de Interpretatione.
15 In Poſteriora analytica.
16 In libellum Anitii Manlii Severini Boetii de diviſionibus.
17 In libellum Averrois de ſubſtantia Orbis inſcriptum juveniles exercitationes.
18 In libros Phyſicorum Ariſtotelis.
19 In libros de Anima.
20 Commentaria & adnotationes in octo libros Aphoriſmorum Hippocratis & Galeni.
21 Commentaria in prognoſtico.
22 In libros de ratione victus in morbis acutis.
23 In libros Epidemicorum.
24 De ſimplicibus medicamentis.
25 De Syruppis
26 De Pilulis.
27 De Medicamentis Catharticis.
28 De Electuariis non ſolventibus.
29 De Collyriis.
30 De Pulveribus.
31 De Oleis.
32 De Ceratis.
33 De Unguentis.
34 De Emplaſtris.

35 De Trochiſcis. Hoc opus fuit a Baruffaldo prætermiſſum.
36 De Linctibus, vel Eclegmatibus.
37 De Aquis.
38 De Infuſionibus.
39 De Decoctionibus.
40 De propriis Medicamentis humorem educentibus tam ſimplicibus quam compoſitis.
41 Index refertiſſimus in omnes Galeni libros.

Syllabus eorum, quæ a clariſſimo Baruffaldo adjiciuntur.

42 Univerſalia.
43 In Porphyrii Iſagogas, vel quinque voces.
44 De ordine & modo Juris dicendi.
45 De morbo Gallico.
46 De æquali Hominum natura, & quare alter alterum excellit.
47 De Vino.
48 Inſtitutiones linguæ Græcæ.
49 Annotationes in I & II lib. Hippocratis de Morbis acutis ſecundum Galen. Comment.
50 Lectio de Cura Morborum.
51 De Aſtm. Curat.
52 Commentaria in Pentateucum Moyſis.

53

Digitized by Google

53 Conſultationes Medicæ.
54 Relationes Hiſtoricæ Civitatis Ferrariæ, & ſuarum gentium.

Adnumerantur quæ a Bono, & a Baruffaldo prætermiſſa ſunt.

55 De radicis Chinæ uſu Tractatus.
56 De Aceto.
57 De Citris Epiſtola.
58 De Vermium Curatione.
59 De Arborum medicina.

Sequentia autem ignoro, an ad calcem, ut in animo habebat, deduxerit.

60 De Ferrarienſibus Herbis.
61 De omnibus Herbis.
62 De colligendarum Herbarum temporibus.
63 De Aloe.
64 De inteſtini recti exitus curatione.
65 De Saporibus.
66 De menſuris antiquis & de ponderibus.
67 De omnibus lactariis plantis, quæ apud nos reperiuntur.
68 De exhibendis medicamentis ſecundum humorum complicationem.
69 De Thermarum aquis.
70 De oculorum ægritudinibus.

DE VITA
ANTONII MUSÆ BRASAVOLI
LIBER TERTIUS.

§. I.

Elogium renunciatur in alma Ferrarienſi Univerſitate inſcriptum.

AB eo, quod ingenuum religioſumque Scriptorem tangit, me defeciſſe munere ducerem, ſi celebre Antonii Muſæ elogium in clariſſimæ Univerſitatis Ferrarienſis Schola Artiſtarum principe contra Cathedram, marmore inſcriptum, tacitus præterirem. Non eo id tantum conſilio aggredior, ut ne & hac, quæ nequaquam modica eſt, laudis parte deſtituatur vir omnem laudem jure meritus, ſed ex ea etiam ratione, & ne qua falſa illi pars laudis, cujus generis plurimam habet inſcriptio, tribuatur, & ne me Cynicus aliquis, quaſi contraria iis, quæ ab inſcriptione notantur, docuerim, vel quædam ex parte miſſa fecerim.

acri-

Digitized by Google

acriter inſimulet, & carpat. Inſcriptionem igitur deſcribam primum: Mox, quæ cum veritate pugnare arbitrabor, ingenue aperiam. Nemo erit, autumo, veritatis amator, qui mihi hac de re ſuccenſeat. Quod ſi id vel injuria, quod nollem, egerit, ſi me neceſſitate potius quadam, ne minus accuratus Scriptor videar, compulſum, quam contradicendi libidine moveri, intelligat, facile iram omnem compoſiturum confido. Inſcriptio hujuſmodi eſt.

D. O. M.
ANTONIO MUSÆ BRASAVOLO
NOBILI FERRARIENSI
Philoſophiæ, Medicinæ, Juris Utriuſque, ac Sacræ
Theologiæ Doctori,
Comiti Palatino, Equiti S. Michaelis in Galliis,
Sorbonici Athenæi Collegæ,
Celebris huius Archigymnaſii Lectori emerito,
Et Moderatori,
Omnigena eruditione in univerſo Terrarum
Orbe clariſſimo,
PAULI III. Pont. Max. Archiatro
Aliorumque trium ſummorum Pontificum
LEONIS X, CLEMENTIS VII, & JULII III
CAROLI V Cæſaris,
FRANCISCI I Galliarum, & HENRICI VIII
Britanniæ Regum Phyſico a conſiliis,
ALPHONSI I Ferrariæ Ducis III & HERCULIS II
Ducis IV Medico dilectiſſimo,
ARA.

Digitized by Google

ARAGONENSIUM, ATESTINORUM,
FARNESIORUM, & GONZAGARUM
PRINCIPUM intimo Familiari
Qui publicas Theſes de QUOLIBET SCIBILI
Per triduum Pariſiis
Ubi MUSÆ nomen, ipſo FRANCISCO
Rege preconizante, ſibi comparavit,
Patavii, Bononiæ, & hìc in Patria, cunctis
Stupentibus, propugnavit,
Ac per quamplurima luſtra è tota Europa confluentes
Ingenuos Auditores erudivit ex Cathedra,
Qui plures quam quadraginta libros, & volumina
De rebus variis, at præcipue de Re Medica
Doctiſſime ſcripſit,
Et fere omnia typis magno cum plauſu evulgavit,
Tamquam effulgenti Patriæ Soli,
Qui nunquam moriturus occidit Ferrariæ pridie Nonas
Julii An. ſal. MDLV, Ætatis ſuæ LV, m. v. d. xx.,
Cujus tamen ortum præceſſerunt
Franciſcus Comes Genitor, & Hieronymus Frater
Cujus occaſum ſequuti
Renatus Comes pariter Moderator, & Hieronymus filii,
Antonius Maria, Hercules, Bartholomæus,
Et Alphonſus nepotes,
In hac Univerſitate Philoſophiæ, Medicinæ, ac Juris
Utriuſque reſpective Lectores,
Aliique duodeviginti Toga, totidemque Sago conſpicui,
Sub tanto Sapientiæ lumine vere fulgentiſſima Sydera,
Hieronymus Bartholomæi filius
Comes & Eques Palatinus, in hoc Archigymnaſio Lector,
In Romano Promotor perpetuus, & Collega numerarius,
Phyſicus Pontificius a conſiliis

Sub

Sub INNOCENTIO XI, & XII
ALEXANDRO VIII, & CLEMENTE XI
Regnante,
Ac Regius ſub CHRISTINA ALEXANDRA
Svvecorum, Gothorum, Wandalorumque Regina,
Illuſtriſſimis Viris Dominis
Comite CAROLO FLASCO Sapientum Judice
Marchionibus (ALOYSIO BENTIVOLO)
(GASPARE DE MONTE)
Hujus Almæ Univerſitatis Moderatoribus,
Una cum Magiſtratus Sapientibus, nempe
JACOBO MINIO RONCAGALLO
J. C. & Lectore Publico,
ALOYSIO A' FABRA Philoſophiæ, ac Medicinæ
Doctore, & Lectore Publico,
JOANNE BENEDICTO COATO
J. C., & Lectore Publico,
ALEXIO SURCHIO,
JACOBO A MONETIS,
CAMILLO RICCIO,
HERCULE SIVERIO,
JOANNE FRANCISCO ALGAROTO,
Et VALERIO BOTTICINO,
Enixis ejus precibus annuentibus,
Ære proprio ABAVO ſuo optime merito
Pridie Nonas Julii Anno ab Orbe redempto
MDCCIII.
P.

§. II.

§. II.

Expenduntur ea verba

Juris utriuſque ...... Doctori

Negatur vero Braſavolum Juriſconſultum fuiſſe.

QUamquam & omni eruditionis genere florentiſſimum, & a prima adoleſcentia ſe quoque Juri civili, & canonico (II. I.) tradidiſſe Antonium Muſam, ipſi ultro fateamur, iis tamen rationum momentis, quorum præſidio ille laurea in utroque Jure inſignitus dicatur, mea quidem ſententia ita caremus, ut non levia immo argumenta contra facere videantur. Eruditiſſimus quidem Baruffaldus (1), licet in vetuſtioribus Auctorum monumentis evolvendis ſe diligentiſſimum præbuerit, & plura præterea tabularia, ut materiem inde explanandæ Inſcriptioni erueret, ſedulo rimatus ſit (tanti Viri pace dixerim) nullum habet vel probabile argumentum, quo Juriſconſultorum nume-

(1) Coment. cit. p. 82.

mero adſcitum Braſavolum probet. Unicum ex Braſavolo ipſo teſtimonium profert, quo rem conficere arbitratus eſt. *Juris quidem peritus non ſum*, inquit ipſe, *ſed tamen juris ſum capax*. At ex his verbis *juris ſum capax* non ſatis intelligo, cur illud ſequatur: Doctor igitur in jure eſt. En reponet fortaſſe naſutior aliquis, cum ſe juris capacem dixit, ſe in jure Doctorem affirmavit. Probe. Sed quomodo hoc probas? Hinc probationem tuam exordiri neceſſe eſt. Nonne eodem, quo tu, jure interpretari objectam ſententiam poſſem, *Juris quidem Doctor non ſum, ſed tamen ex jure calleo aliqua*. Quis vetat? Eo vel maxime, quod ſi ſe Doctorem quidem, ſed in jure minime deinceps verſatum præbere voluiſſet, non ea verborum ambage, ut hæc ſignificaret, nitidiſſimus Auctor uſus eſſet. Juris periti quidem munere, dixiſſet potius, non fungor, ſed tamen juris ſum Doctor. Sed hæc libens mitto. Peto cur in citato a Baruffaldo Dialogo Eques Fridericus Quainus poſſit Braſavolum reprehendere, quod de jure adminiſtrando ſententiam ſuam dicturus, in alterius veluti meſſem irrepſiſſet? *Cur autem*, inquit (1), *tu qui juris peri-*

tus

(1) De modo Juriſdicendi p. 699.

tus non es, in hanc arenam veluti certaturus deſcendiſti? Nonne Braſavolus reponere merito potuerat: *nonne in jure Doctor conſtitutus ſum? nonne mea eſt hujuſmodi provincia?* Cur autem voluntatem Principis ſimulat, quod ſibi hoc onus ſuſcepiſſet? Nunquam ſe Doctorem perhibet, immo ſe unas Philoſophi partes agere prædicat: *Ita* (inquit Quaino reſpondens) *Principi placuit, qui ut in omni re judicio alios excedit, ita novit, Philoſophos de rerum publicarum ordinibus, de bonis moribus reformandis, de legum adminiſtratione, de univerſæ hujus Mundi compaginis juſtitia multa & apposite, & docte diſſerere ſcire, & ad unguem pertractare; & præterea qui alii leges condidere, & approbavere, quam Philoſophi? Legitur & Solonem, & Lycurgum, & cæteros antiquos Legislatores fuiſſe Philoſophos, & a Platone in ſuis legibus Philoſophi munus eſſe leges condere comprobatur, nam aliud nihil eſt legalis juſtitia, quam ſimilitudo quædam illius juſtitiæ, quæ in univerſo mundo videtur.* En quam ipſe juris capacitatem intelligat, Philoſophiam ſcilicet, rectumque argumentandi modum. Quid clarius? Sed opuſculum ſcripſit de modo juris dicendi, opponere poſſet aliquis. Do ultro, & omitto illud, quod non magni & ipſe ponderis cenſeo, Herculi ſcilicet Ducis juſſu

opu-

Digitized by Google

opuſculum conſcripſiſſe. Illud unum adverto Philoſophicis tantum, & naturalibus rationibus, non a Juriſprudentia petitis inniti, & nullis cognitis Urbium ſtatutis, ſed juxta propriæ mentis ſenſum diſſerere. Ipſius profero verba. *Cum ad hoc negotium ab excellentia ſua ſim vocatus, & juſſerit, ut ſententiam meam in hac re depromerem, non poſſum tanto Duci non parere, neque excuſatione aliqua uti volo, ſed mihi ſatis erit, vel probe, vel male dicam, illi obtemperaſſe, & præterea in hac re diſcutienda nullum ordinem alicujus urbis legere volui; ſed illa tantum ſcribere propoſui, quæ mens mea (ut arbitror) recta dictabit, nam Deus ipſe peccatorum preces non deſpicit* (1). Cum vero & juſſus & ea, qua diximus, methodo opuſculum ſuum abſolverit, id ne in jure Doctorem declarat? Neque ullam illud pariter vim habet, ſi ab aliquo opponeretur, in Inſcriptione ſcilicet in ejus funere condita, *Aſtream ſuam ingemere trutinam*. Id quidem probat hominem in Juriſprudentia verſatum, cum ſe illi adoleſcens tradidiſſet: probat in aliquibus cauſis componendis, ut probum, rectumque virum accitum: probat hominem, ut Philoſophum, etiam de jure, cujus minime jejunus erat, ſententiam ſuam dicentem. Sed Docto-

rem,

(1) Ibid. p. 715.

rem, id eſt publica donatum laurea nequaquam probat, cum multa præſertim argumenta adſint, quæ aliter ſe rem habere ſuadeant. Ea autem tandem habe. Quum Braſavolus, & Juriſconſulti *melioris famæ illius tempeſtatis*, Ducis juſſu, evocati, ut de Juſtitia ageretur adminiſtranda, in unum conveniſſent, eloquentem, & plenam dignitatis habuit orationem Hercules, in qua hæc protulit verba (1): *Vos hic eſtis ſex Juriſperiti, unus Philoſophus, & duo Cauſidici* &c. Singulorum nomina exhibet Braſavolus ipſe; Juriſperiti ſcilicet (2) *Magnificus & Excellentiſſimus Cæſar de Nobilibus Lucenſis, Magnificus & Excellentiſſimus Lanfrancus Gypſius, Magnificus & Excellentiſſimus Ludovicus Catus, Magnificus & Excellentiſſimus Prætor, Magnificus & Excellentiſſimus Philippus Rhodus, Magnificus & Excellentiſſimus Alphonſus Roſſetus*. Expoſitis Juriſperitorum nominibus pergit Braſavolus: *aderant & hi egregii Cauſidici Dominus Petrus de Betinis, & Dominus Chriſtoforus Roſſetus*. At Philoſophus ille, cum quo Hercules allocutus eſt, quiſnam fuit? Cur Philoſophi nomen ſilet Braſavolus? Clariſſimus tamen Baruſ-

(2) Ibid. p. 703.
(1) Ibid. p. 701.

Digitized by Google

ruſſaldus, illum fuiſſe Antonium Muſam, benigne reponit (1), & recte, dum *me ipſum numerare non eſt opus, qui hæc referre neſcirem, niſi huic ſantiſſimo negocio interfuiſſem, & tu me exeuntem vidiſti*, ajebat Quaino interlocutori Antonius Muſa *(2)*. Verum ſi Juris Doctor Braſavolus extitiſſet, cur Hercules Dux non dixit *Vos hic eſtis* ſeptem *Juriſperiti* rectius, quam *ſex*? Cur Braſavolus, qui ſe juris capacem dixit, & allata ſcripſit verba, a Juriſperitorum numero ſe ſubducit? Cur Philoſophum potius in queſtione de adminiſtranda juſtitia tot inter jurisperitos, & Cauſidicos, & eum Dux, & ipſe ſe vocat? Cur & idem Quainus irridet? *Quid ages tu, qui Juriſconſultus non es?* (3). Cur cum de litium prolixitate audiviſſet non pauca fuiſſe illo in congreſſu diſceptata, addit: *Tu (ut arbitror) nihil penitus loquebaris* (4). Proh Deum immortalem. Ille ne Juris Doctor dicetur, qui in litigioſis queſtionibus nihil penitus dicere poſſit? *Cœpi quidem*, inquit ipſe, *juri civili incumbere & canonico, nec iſta fuit mea il-*

L *la*

(1) Coment. Iſtor. cit. p. 83.
(2) De mod. Juriſdicend. p 701.
(3) Ibid. p. 705.
(4) Id. Ibid.

Digitized by Google

la vocatio, qua a Deo vocandus eram (1). En virum in ſtudio tyronem quidem, ſed Doctorem nequaquam (II.I.), qui ſtudia incœperat, non qui abſolverat. Neque ſane in propoſitis ad diſputandum (IV.I.) centum concluſionibus, quas ſuſcepit, ulla ex Juriſprudentia petita eſt. Aliud fortaſſe argumentum nobis præbet Ferrantes Borſetti. Diligentiſſimus hic hiſtoriæ Ferrarienſis Gymnaſii Scriptor album Laureatorum in almo Collegio Juris utriuſque Doctorum Ferrariæ, prout jacent in Statuto MS. ejuſdem Collegii, deſcribit (2), qui anno MDLIV vitam adhuc agebant, & viventis adhuc Antonii Muſæ nomen ibi non legitur. Tantum autem abeſt, ut hoc aliquid ab Antonii Muſæ laudibus detrahat, quin immo, mea ſententia, plurimum addit. Plurimi enim habendus erit, ſi in Juriſprudentia peritus dicatur, licet non Doctor, quam ſi Doctor, ut Baruffaldus explicat, ſine Juriſprudentiæ doctrina. *Juris quidem peritus non ſum, ſed tamen juris ſum capax.*

§. III.

(1) Exam. Catap. vel Pilul. p. 14.
(2) Part. II. p. 488.

Digitized by Google

§. III.

In ea verba

Ac Sacræ Theologiæ Doctori

Aſſerta ejuſdem in S. Theologia laurea in dubium vocatur.

S*Tudio incredibili omnium Scientiarum abdita* penetraſſe teſtatur Jacobus Antonius Bonus *(1)*. Theſes ex centum propoſitis a Theologia eductæ, Vita Jeſu Chriſti conſcripta, & Commentaria in Pentateucum Moyſis (XX. II.) divinarum rerum imbutum ſcientia (do libens) evincunt. Verum tamen cum primum hiſtorici Scriptoris munus in veritate inquirenda ſitum eſſe conſtet, cum nullum neque in aliis Scriptoribus, neque in ejus ſcriptis de hac Theologica laurea veſtigium offenderim, ne proinde vel aperte falſa, aut ſaltem pro certis dubia ſtatuerem, nihil de ea affirmare auſim. Quonam enim id fundamento probaverim? Id ne mihi audacter ſumam, ut meæ acquieſcant Critici

L 2 Le-

(1) Præf. ad Ind. Gal. Braſ. cit.

Digitized by Google

Lectores auctoritati? Id ſi verum eſſet, ſaltem aliquod in inſcriptione in ejus funere poſita indicium appareret. Si in Juriſprudentiæ ſcientia eruditum vocat, cur in Theologicis ſileret Doctorem? Baruffaldus re ipſa impiger cæteroquin Scriptor nullum in hujus paragraphi dilucidatione, ſive Commentario (1) monumentum profert, neque unius quidem Scriptoris auctoritate rem comprobat. Cur igitur potius Inſcriptioni credendum, quæ quadrageſimo octavo ſupra centeſimum anno ab Antonii Muſæ obitu condita nullum habet, quo fulciatur in ſua enunciatione, fundamentum? Neque autem veroſimile eſt, aliquod Hæredes de hac laurea documentum habuiſſe; nam in aliquo illius ævi præſertim Scriptore, cum plurimi de Braſavolo magnifice loquantur, aut inveniretur, aut ſaltem a Baruffaldo, qui ex monumentis a Patre Rodulpho a S. Hieronymo Clerico Regulari Scholarum Piarum, alias Hercule ex eadem Braſavolorum familia, doctrina & pietate clariſſimo exhibitis ſuum condidit Commentarium, procul dubio, ſi extitiſſet, evulgatum fuiſſet. Dubitationem inſuper auget meam Ferrantes Borſetti;

(1) p. 84.

Digitized by Google

ſetti; in ſua enim almi Ferrariæ Gymnaſii hiſtoria (1) album Doctorum Ferrarienſis Collegii Theologorum ab anno MCCCCLX circa uſque ad MDLXXIX eo refert ordine, quo in Statutis, aliiſque authenticis libris ejuſdem Collegii deſcribitur, atque in eo pariter Antonius Muſa deſideratur. Quod ſi, ut æquum eſt dicere, atque ut Inſcriptionem interpretandam reor, intelligi velit eum, cum in utroque jure Doctor itemque in Theologicis nuncupatur, in iis artibus fuiſſe verſatum, nemo erit, qui adverſetur.

§. IV.

In alia verba

Pauli III Pont. Max. Archiatro

Nec Lucam ſequutum Paulum III, nec Romæ apud eumdem extitiſſe contra Baruffaldum probatur.

ETſi a Paulo III Pontifice ſui Archiatri nomine (XIX. I.) Braſavolus donatus fuerit; idque etiam in ſuo commentariolo

(1) Part. II. p. 478.

Hercules Braſavolus memoret (VIII. II.), & præmia ab eodem Pontifice illi conceſſa, eidem inſuper medicam tuliſſe opem declarent, tamen minime verum eſſe cenſeo, Braſavolum apud Pontificem degiſſe Romæ, ut pronunciat Baruffaldus. Gratus Antonii Muſæ in Herculem Ducem animus ab illius latere ſe dimoveri non patiebatur; neque honorum, & beneficiorum, quot cumulatus fuerat, ab eo memoriam fluxiſſe putandum eſt. Vir honorum minime cupidus omni ſane ſtipendio, ac lucro, quod ab aliis offerrii poterat, amorem Herculis & Patriæ pluris habere debuerat, & nullo flecti hortatu, nulliſque precibus trahi, ut relicto Hercule Domino ad aliorum ſe obſequia traduceret. Cum eum præſertim Ducem eſſet nactus, a quo vehementiſſime amaretur, quique nulli, eo ſuperſtite, vitæ ſuæ curam commiſiſſet (1). Hac de re ſatis ſibi Braſavolus teſtis eſt (2): *At ego*, inquit, *qui Illuſtriſſimum Ducem uti filium diligo, immo uti me ipſum, illum nunquam deſerere potuiſſem*. Verum in hujuſce particulæ Commentario (3) Baruffaldus

(1) Exam. omn. oleor. p. 203.
(2) Ibid. p. 205.
(3) p. 104. & ſeq.

dus (quem ſecutus eſt Frater Vincentius Coronelli (1) in ſua Bibliotheca) urget; Braſavolum ſcilicet Lucam comitatum fuiſſe Pontificem, immo ipſius Archiatri munere diſtinctum apud eumdem demoratum eſſe (2). Hoc probare nititur teſtimonio Antonii Muſæ, cujus aliquot recitat verba. En tibi illa Comis Lector: *Non mihi tempero, quin Medici cujuſdam temeritatem adducam, qui Lucæ, prandente Pontifice Anno* 1541 *in menſe Septembris, totis viribus defendere conabatur, neminem ante Hippocratem de re medica quicquam ſcriptis mandaſſe* &c. En inquit Baruffaldus: Cum Pontifice Lucæ pranſus eſt. Ergo Lucam ipſum comitatus eſt. Ergo Romæ apud eum commoratus eſt ejuſdem Archiater. Sed multa, quæ his Baruffaldi rationibus opponam, non deſunt. Lucæ cum Pontifice pranſus eſt. Fateor. At omnes ne, qui cum Pontifice prandebant, ex ejus comitatu in itinere fuerunt? Ipſe ergo Hercules Dux ex ipſius comitatu fuit; ipſe enim quoque cum Pontifice pranſus eſt. Sed ſerio agamus. Pranſus quidem eſt cum Pontifice Braſavo-

 lus,

(1) Bibliot. Univerſ. Sacro-profan. &c. T. 6. p. 1092. n. 2919.

(2) loc. cit. p. 104.

Digitized by Google

lus, ſed non Pontificem, ſed Herculem Dominum comitatus, qui Lucam inviſendi Pontificis cauſſa ſe contulerat (XIX. I.). Cur non de alio Medico, cum quo certavit, idem aſſerendum? ideſt pranſus & alter Medicus cum Pontifice eſt. Ergo ipſius erat Archiater. Ergo cum eo degebat, eumque comitatus eſt. Rem fortaſſe melius attigiſſet. En primum Baruffaldi argumentum; alterum expendamus. Egreſſus Luca Braſavolus Pontificem, pergit Baruffaldus (1), ſequutus eſt Romam, ibique non breve degit temporis ſpatium. Teſtem hac de re citat ipſum Antonium Muſam, qui, an Romæ mirandam Laochoontis ſtatuam vidiſſet, interrogatus: *alias videram* (reſpondit) *Romæ in Pontificiis hortis*, ideſt, Baruffaldus conjectatur, cum Romæ Pauli III Archiatrus morabatur. At certa non eſt omnino concluſio; Viderat Laochoontem Romæ in Pontificiis hortis. Ergo Lucam comitatus eſt Pontificem. Ergo cum eo Romæ manſit. Nonne Romam petiiſſe alias, & in hortis Pontificiis vidiſſe Laochoontem poterat? vel hæc tantum Pontificiis Medicis, quique cum Pontifice degunt, contemplanda ſtatua patet? Nonne, ipſo

(1) loc. cit. p. 105.

ipſo aſſentiente Baruffaldo, Romam anno MDXXXV cum Hercule Duce Braſavolus (XVII. I.) profectus eſt? En igitur niveo ſignandum lapillo annum, quo in Laochoontis conſpectum Braſavolus adductus eſt.

Diſſolutis ita Baruffaldi momentis meas in medio rationes pono. Qui, peto, potuerit Braſavolus Luca ſe comitem Romano Pontifici addere, quod anno contingere debuit MDXLI poſt menſem Septembris, & Romæ ad non breve tempus, ut ſcribit Baruffaldus, morari, ſi paucis a ſuo ab Luca diſceſſu elapſis menſibus, ideſt initio anni MDXLII Ferrariæ, ut ex ipſius teſtimonio (1) conficitur, libros de ratione victus in morbis acutis Ferrarienſi juventuti exponendos ſuſceperit? Si hoc publice anno docebat Ferrariæ, num ab Archiatri munere dimiſerat eum Pontifex? Si dimiſſus credendum ne eſt rurſus inſequenti anno MDXLIII in priſtinum fuiſſe, ut Baruffaldus aſſerit, reſtitutum officium? Hoc ipſo tempore, quo in celebri *de Venæ ſectione in inflammationibus* &c. illius tempeſtatis Medici verſabantur queſtione, Ludovicus Panizza Mantuanus, Fri-

(1) De rat. vict. in morb. acut. Hipp. &c. p. 2. col. 2.

Friderici II Ducis Mantuæ Phyſicus doctiſſimus titulo Ducalis, non Pontificii Medici, appellat (1) Braſavolum, & in Ferrarienſi Gymnaſio medicam facultatem explanantem renunciat. At ſi Romam tunc Pontificis Archiater profectus eſſet, ut Baruffaldus contendit, qui fieri poterat ut Ferrariæ doceret? Qui fieri poterat ut Luca Romam ſequutus Pontificem apud eum degeret?

At, inſtat Baruffaldus, Anno ſaltem MDXLIII, Braſavolus Romam venit, nec eo niſi poſt Pontificis obitum (qui IV Idus Novembris MDXLIX (2) contigit) diſceſſit. Sed rem aliter ſe habere docet rogitus Alexandri Senioris de Faciis Notarii Ferrarienſis III Nonas Auguſti MDXLIV, quem Baruffaldus ipſe (3) adducit; in eo enim legitur *Jo: Maria fil. quondam Franciſci dicti Cantorj de Vays de Villa Stellatæ diſtrict. Ferr. vendidit, & tradidit Magnifico D. Antonio Muſæ Braſavolo fil. quondam D. Franciſci Phyſico, & Nobili Ferrariæ & Medico DUCALI* &c. *Unum Caſale* &c. Itaque ſi *Jo: Maria* vendidit Antonio Muſæ *Ducali Medico* nonne

(1) De Ven. Sect. in inflam. &c. p. 68.
(2) Muratori Annal d'Ital. T. X. p. 334.
(3) Coment. Iſtor. cit. p. 72.

Digitized by Google

ne Ferrariæ anno MDXLIV habitabat? Ergo anno MDXLIII Romam veniſſe, nec inde niſi poſt obitum anno MDXLIX diſceſiſſe minime poterat. Romæ Pontificium Archiatrum anno MDXLIV nequaquam extitiſſe ulterius confirmat Ducis Herculis II diploma eodem datum anno pridie Nonas Februarii (1), in quo Braſavolus ab Duce *Medicus noſter dilectiſſimus* vocatur, non Pontificius. Huic omnino ſimile argumentum eſt illud, quod ex epiſtola nuncupatoria ad Balduinum Epiſcopum Marianenſem Examini omnium Looch præſcripta depromitur. In ea, quæ data eſt anno MDLIII hæc habet verba Braſavolus *poſtquam Roma diſceſſi*. Ergo ſi Roma diſceſſit Romæ fuit. Qualis autem in ea eſſe potuit, niſi Pontificis Archiater? Hæc Baruffaldus. Sed ille epiſtolam eam nuncupatoriam protulit, in qua ne verbum quidem de Pontifice legitur. Romæ fuit. Do libens. Ergo Braſavolus Romam venit anno ſupra quingenteſimum quadrageſimo tertio? Ergo ab ea profectus eſt ſex poſt annos, nempe MDXLIX poſt Pontificis obitum? Ergo Pontificius Archiater? Fallaces omnino (ſit verbo venia) ſunt hæ con-

(1) Ibid. p. 112.

conjecturæ. Undenam ex epiſtola hoc eruitur? cum nulla alia habeat verba, quam ea *poſtquam Roma diſceſſi*. Hæc eum quidem Romam profectum ſupponunt, ſed quonam id tempore contigerint, prorſus ſilent. Sub epiſtola nullus ſignatus eſt annus. Unde igitur iſtam anno MDLIII datam conjicitur? Num aliquod in ea factum narratur, quo illi anno epiſtola ſit adſcribenda? Nequaquam. Qua ergo de cauſſa eo datam anno decernendum eſt? An ex anno, quoliber, cui epiſtola inſcribitur, prodiit? Verum ſit hoc eodem Anno conſcripta. Ergo Braſavolus Romam profectus anno MDXLIII? Ergo ab ea diſceſſit anno MDXLIX poſt mortem Pontificis? Ergo Pontificius Archiater? Fallaces, inquam, conjecturæ. Jam vero peto, ſi poſt Pontificis obitum, ideſt anno MDL Romam veniſſet, ab eaque poſt receſſiſſet, nonne recte ſcriptum adhuc eſſet *poſtquam Roma diſceſſi?* Utique quidem. Atqui poſt Pauli III mortem (quæ anno contigit, ut diximus, MDXLIX) iter Romam verſus anno MDL poſt Februarium menſem ſuſcepit Herculem comitatus, Julium III (qui IV Idus Februarii Paulo ſucceſſit) Pontificem Maximum viſitaturum, & poſt SS. Reſſurectionis feſta ab Urbe Ferrariam rediit, ut enuntiavi-

vimus (XXII. I.), recte igitur adhuc ſcriptum eſt anno MDLIII *poſtquam Roma diſceſſi*, neque ex his verbis concludi poteſt profectus, vel reditus, multo minus mora apud Paulum Pontificem. Hæc mea ſententia nullis eſt, ut videt Lector, conjecturis ſuffulta, ſed liquidis ipſius Braſavoli teſtimoniis, quæ citatis locis congeſſi.

Verum, ne res in dubitationem aliquam deinceps rapi poſſit; toto eo tempore, quo Baruffaldus Romæ, ego Ferrariæ Braſavolum habitaſſe pluribus rationibus demonſtrabo. Primam ex Amato Luſitano excerpſi. Hic Antonii Muſæ humanitatem, & admirandam ſapientiam per ſeptennium ſe cognoviſſe, cum apud Ferrarienſes moraretur, affirmavit: ipſius verba alias (1) recitavi. Jam vero Ferraria fatetur ipſe (2) menſe Majo anno MDXLVII abiiſſe. Hoc anno, ſi Ferraria abſceſſit, ubi ſeptennium vixerat, eadem igitur in Urbe ſibi domicilium anno MDXLI collocavit (3). Itaque ſi humanitatem, ſummamque Braſavoli ſapientiam ab anno MDXLI ad XLVII expertus eſt, Ferrariæ eo ſeptennio, non Romæ, moraba-

(1) Comm. in Dioſcor. lib. 1. p. 14.
(2) Ibid. lib. 4. Enarr. 54. p. 401.
(3) Ibid. lib. 2. Enarr. 23. p. 178.

batur Antonius Muſa. Si aliud ex ipſo Luſitano argumentum deſideratur, adnectam. Hoc ipſo tempore, quo Amatus publice Medicinam Ferrariæ docebat, Sebaſtianus Menſeus, Rhacuſina mandante Republica, illuc advenit (IX. II.) de Medico a Rhacuſinis conducendo cum Braſavolo conſulturus, & *ut erat ſui obeundi muneris, Antonium Muſam Braſavolam virum & doctrina, & uſu rerum præſtantiſſimum, ac Illuſtriſſimi Ducis illius Civitatis Medicum primarium adit* (1). Ergo Ferrariæ, non Romæ, eo tempore degebat Antonius Muſa Ducis Archiater. Plura modo ex Braſavolo teſtimonia complector, quæ maximi habenda ſunt.

Die, inquit, 31 *Decembris* 1544, *erat autem dies Veneris, circa octavam noctis horam, noſtras ad fores pulſatum eſt, tunc in noſtris antiquis ædibus prope divi Antonii templum habitabamus....e lecto ſurrexi, & illuc profectus ſum* &c. (2). Eo in loco, quo, an aqua frigida febre laborantibus ſit propinanda, expendit, hæc ſcribit (3): *nec poſſum ad illam exbi-*

(1) Ibid. in Epiſt. nuncup.
(2) Exam. Electuar. p. 16.
(3) De Rat. vict. in morb. acut. Hipp. &c. lib. 1. p. 89. col. 1. l. 31.

Digitized by Google

bibendam inclinari, neque noſtri temporis febres, vel noſtræ patriæ videntur frigidam, niſi raro expetere, illam tantum ad hæc uſque tempora 1545 *die* 16 *Februarii bis dedimus, & ad vota ſucceſſit.* Itaque in Patria eo verſabatur anno, & ad ſuorum Concivium commodum hoc monumentis conſignabat præceptum. *Primo Auguſti die præſentis Anni MDXLVI cum illuſtriſſimum Ducem mane de more viſitaſſem, mihi dixit* &c. (1). Anno MDXLIX amplam tegetem (2) edificavit. Graſſante per Italiam hoc eodem anno miſerrima illa lue, quæ & Ferrarienſes vexavit, trochiſcorum de bolo armenæ auctor fuit, iiſque multo hominum commodo uſus eſt (3). Per hoc ergo temporis ſpatium, ab anno ſcilicet MDXLI ad XLIX Ferrariæ verſatus eſt. Illud item certiſſimum eſt anno MDXLVI IV Nonas Auguſti Ferrariæ, non Romæ, eum habitaſſe, & una cum Juriſperitis de ordine adminiſtrandæ Juſtitiæ ſermonem habituris concioni interfuiſſe, ut Baruffaldus ipſe alias (4) fatetur. Eodem tempore diver-

(1) De Modo Juriſd. p. 700.
(2) Exam. omn. oleor. p. 213.
(3) Exam. Trochiſc. p. 193.
(4) Coment. cit. p. 83.

verſis in Urbibus nequibat conſiſtere: niſi forte Antonius noſter illud egiſſet, quod de Patavino legitur, qui Ulyſſipone & Patavii eodem horæ momento deprehenſus eſt. Qua de re in meam quilibet deſcendat ſententiam neceſſe eſt, Romæ apud Paulum III eum minime perſtitiſſe. Eques Proſper Mandoſius, qui de Archiatris Pontificiis conſcripſit hiſtoriam, aliam ſuppeditat rationem; de Braſavolo enim ne verbum quidem habet, & ex octo, quos numerat Pauli III Pontificis Archiatris unum Ferrarienſem Jacobum Bonacoſſum recenſet, qui anno MDLIII pridie Nonas Januarii, annos agens ſexaginta novem, Menſem unum, Dies viginti duos (1) ultimum diem abſolvit. Tandem Lucas Macchiavellus Bononienſis in Oratione *de laudibus Ferrarienſium* in generalibus ſui incliti Ordinis Servorum Mariæ Virginis comitiis, Ferrariæ in æde divi Georgii habita, Bononiæque paucos poſt annos a Braſavoli obitu edita, anno ſcilicet MDLX, nulla de hac Romæ Braſavoli mora mentione facta, ſequentia recitavit (2): *Qui Antonii Muſæ Braſaolæ, toties Romam a ſummis*

(1) Mandoſ. p. 103.
(2) p. 19.

Digitized by Google

mis Pontificibus, ob illorum valetudinem curandam accerſiti, excellentiam ſingularem memoria tenetis. Jam vero nil amplius in his immoror. Archiatri Pontificii nomine clarus pluries quidem, ut vidimus (VIII. II.), ad Pontifices curandos Romam vocatus eſt, non autem ullo annorum ſpatio Romæ habitavit.

§. V.

Leonis X, Clementis VII.... Phyſico a Conſiliis

An Leonis, & Clementis Phyſicus a Conſiliis fuerit ambigendum eſt.

NUllam de ſummis Leone X, & Clemente VII Pontificibus noſtro in Commentario mentionem ex induſtria fecimus. Quum enim nullo ſatis probabili appareat monumento, quommodo Antonius Muſa in rebus medicis conſultus ab ipſis fuerit, imo nonnulla, quantum ad Clementem ſaltem, in ejus ſcriptis, quæ me in dubitationem trahunt, offenderim, ſatius exiſtimavi, ne falſa de hac re evulgarem, omnino conticeſcere. Neque vero de modeſtiſſimo Viro, qui jamdiu humanæ gloriæ valedixerat (XIV. II.), hoc ulla ratione probari poteſt, ut vel

Digitized by Google

minima illi pars laudis falſo tribuatur. Quare quum propriis ipſe laudibus ſatis ſuperque niteat, tantum ab adulatione narratio mea avocanda eſt, quantum longe abeſt adulandi neceſſitas. Ne tamen hiſtoriæ meæ deeſſe alicui videar, dubitationum mearum rationes palam facere neceſſarium maxime duco, Ac primum an Leonis Phyſicus a conſiliis fuerit, fateor me non parum ambigere. At cur ambigendum eſt, Baruffaldus (1) ait, ſi in commentariolo Herculis Braſavoli (VIII. II.) *pro morbo Leonis X aliquod adnotatur conſilium*? Si tu, inquam, Vir ſpectatiſſime, commentariolo acquieſcis, ego nequaquam. Omnem tibi profecto fidem adhibeo, nec unquam dubitaverim, quin ea, quæ memoras, Hercules conſcripſerit. Dubito tamen an ejus hac in re auctoritas valeat. Hercules quidem, ut tu ipſe fateris (2) Nonis Junii MDXXXIII ex Antonio Muſa, & Caſſandra Conjugibus natus eſt, nimirum a Leonis obitu duodecim ferè poſt annos (Leo enim anno deceſſit MDXXI) Teſtem igitur adducis, qui a ſe ipſo rem propius attingere non potuit. Sed ab alio, repo-

(1) Coment. Iſtor. cit. p. 106.
(2) Ibid. p. 216.

repones, accepit. Optime. Sed quonam ex fonte, & quando potuit? An ex Braſavoliana gente? Minime gentium; Joannes enim & Hieronymus jam vita, te ipſo (1) aſſentiente, exceſſerant, neque præter Patrem quiſquam ſupererat. Num ab hoc? Id fortaſſe verum eſſe poſſet. Quis tamen aſſerat? Antonius Muſa, qui conſilium *pro Reverendiſſimo, & doctiſſimo Laurentio Cardinali Campegio* ſuis in ſcriptis non modo non præteriit (2), verum & illius nomen tradidit, qui conſultationem procuravit, ne verbum quidem de conſilio pro Leone Pontifice, de quo tamen loquitur, uſquam fecit. Sed abs te peto Vir præſtantiſſime, quonam tempore ſuum Hercules condidit commentarium? Ex iis quæ protuliſti, illud poſt Patris mortem ſuſpicor confeciſſe. In libro enim (3), inſcripto: *Memorie di me Ercole Braſavola Figlio d' Antonio Muſa &c.* hæc legi ais pag. 146. *Doni avuti da Antonio Muſa mio Padre, quando era Medico di Paolo III. in Roma*, & deinceps: *Reſto di doni avuti quand' era Medico primario di Papa Paolo III.* At mecum quæſo æqua lance perpende illud

(1) Ibid. p. 184. & 216.
(2) Exam. ſimpl. Med. p. 425.
(3) Coment. cit. p. 105.

verbum *era*, quo bis uſus eſt Hercules; & poſt Pauli obitum, ideſt poſt annum MDXLIX conſcriptum fuiſſe commentariolum conſenties. Ibidem aureo monili donatus Braſavolus dicitur ab Julio III, qui III Idus Martias Anno MDLV fato ceſſit, quatuorque non expletis menſibus Antonii Muſæ obitum præivit. Ergo commentariolum poſt Patris mortem, aut ſaltem paullo ante Hercules confecit. Liquet ergo de conſilio ab Leone petito poſt Annum MDLV Herculem conſcripſiſſe, ſcilicet triginta quatuor annis & ultra a Pontificis obitu. Ad hoc igitur tempus, neque ab Patre, neque a Parentibus Conſilii notitiam hauſiſſe probabiliter dici poteſt. Si privatis fortaſſe aliquorum teſtimoniis vulgique rumoribus credidit, facile in errorem raptus eſt. At reponet aliquis: Nonne inter Patris ſchedulas reperire Conſultationes ipſas potuit? Potuiſſe ommitto, reperiiſſe non concedo. Sed hæc levia ſunt dubitandi fundamenta; potiora explicemus. Quandonam ab Pontifice conſultus Braſavolus dicendus eſt? Num antequam ipſe Medicam exercere Artem cœpit? Hoc minime probabile videtur. Poſtquam igitur Medicum agere aggreſſus eſt? Ita prorſus. Anno itaque MDXX, quo ex

Bra-

Braſavoli ipſius teſtimonio (III. I) morbis curandis ſe tradidit, vel anno inſequenti Pontifici conſultum dedit; ultra enim hos annos id minime fieri potuit, præmortuo Kalendis Decembris MDXXI (1) Pontifice. Verum hoc ne probabile habendum eſt, Medicum adhuc tyronem in ipſo exercendæ Artis limine ab Pontifice in conſilium peti, quum ea præſertim Ferrariæ floreret ætate doctiſſimus Senex Nicolaus Leonicenus *melioris medicinæ in Italia parens* (2), qui anno obiit MDXXIV, quique, tanti enim ab Pontifice Leone habebatur, plenam ab ipſo benevolentiæ epiſtolam acceperat? Hanc, quam Midendorpius, & Borſettus (3) evulgarunt, ſubjicio.

Leo Papa X. Nicolao Leoniceno.

TE & amavi profecto omni tempore, multiplicemque, & excellentem in optimarum artium ſtudiis doctrinam tuam magni, ut de-

M 3 *bui,*

(1) Muratori Annal. d' Ital. T. X. p. 153. Guicciardini stor. lib. XIV. Ciccarelli nella Vita di Leone. Platina &c.

(2) Valleriola Loc. Commun. lib. 1. cap. 1. De Medicin. Inventor. &c. p. 8.

(3) Hiſt. Alm. Ferrar. Gymnaſ. P. I. Lib. II. p. 153. Item P. II. Lib. I. p. 61.

bui, feci, & nunc etiam Petri Bembi Scribæ a Latinis mei (qui te mirifice diligit, & Ferrariæ, in Prædominatu Patris ſui, admodum adoleſcens cum eſſet, de tuo pleno fonte hauſiſſe ſe præcepta Philoſophiæ dictitat, rivulumque duxiſſe) apud me habito, multa cum tua laude ſermone, facile adducor, ut ad priorem meam in te benevolentiam, magno addito cumulo unice te complectar, & proſequar, cupiduſque ſim ornandi tui meritis, & præmiis, & laudibus. Id te ſcire volui, ut ſi quid eſſet, in quo tibi uſui, & ornamento eſſe poſſet amor erga te meus, conſideres, te a me omnia, quæ velles, poſſe conſequi. Datum quarto nonas Aprilis, Anno tertio. Romæ. Vir ergo adeo Pontifici probatus inconſultus ab eo fuit? Conſultus autem dicetur tunc vix aliquid in medicina exercenda verſatus Braſavolus, quo nec ipſa Ducis Aula utebatur? Sed quo de morbo conſultus tandem fuit? Num de aliqua, qua Pontifex per eos annos detineretur ægrotatione? Id vero ex vitæ ipſius Scriptoribus non patet. Num de ea, qua tandem morti addictus eſt? Sed quum Hiſtoricis omnibus conſentientibus (1) inopinato contigerit, nullum conſultationibus tempus reli-

ctum

(1) Muratori loc. cit. Berti Breviar. Eccleſ. Hiſt. P. II. p. 143. n. ccxix. &c.

ctum eſt. Quibus diligenter perpenſis valde dubito, an medicis conſiliis Braſavolus eum unquam juverit. Quod non ideo equidem in dubium vocavi, ut Herculis filii fidem ſuſpectam redderem, ſed ut ne hominum auctoritati nimium fidere Lectoribus meis videar.

Quod ad Clementem vero attinet, ſic in hunc Inſcriptionis illuſtrandæ locum Baruffaldus exponit (1). Braſavolus de ſummi Pontificis Clementis vivendi norma ita edoctus fuit, ut de ea in Trochiſcorum examine locutus ſit. Ergo patet pluries maxima Pontifici cum diligentia inſerviſſe. Verum ego utpote qui viginti ab hinc annos medicinam exerceo, cui medicæ quæſtiones, ſaltem celebriores, minime obſcuræ eſſe debent, in longe diverſa ſum ſententia. Braſavolus vitæ Pontificis methodum non ignoraſſe, id veriſſimum eſt, non ex eo tamen quod Clementi medicinam e conſilio feciſſet, ſed ex vulgatiſſima inter Matthæum Curtium Ticinenſem, & Andream Turinum Piſcienſem medica diſceptatione, quæ per ea tempora agitata eſt. In celebri ſcilicet Patavina Academia publice docuerat Cur-

(1) Coment. cit. p. 106.

tius, in cœna magis eſſe, quam in prandio cibis indulgendum, ejuſque diſcipulus Odus de Odis Præceptoris ſententiam opuſculo *De cœnæ, & prandii portione* illuſtravit, atque in vulgus emiſit. Hæc ſciens Turinus ſtatim adverſus Curtium (cum quo de loco venæ in Pleuritide incidendæ alias jam dimicaverat) inſurrexit, atque in Clementis VII nomine De prandii, ac cœnæ ratione epiſtolam apparere juſſit. *Odus enim de Odis Patavinus vir multæ eruditionis præceptori ſuo addictus aliam de cœnæ laudibus, & prandii execratione opinionem non minus Sanctitati tuæ pernicioſam (ut puto) in lucem edidit.* Hæc ſcribebat Clementi, cujus fuit Archiater, Andreas Turinus (1), qui dein ſubdit: *Explodenda eſt itaque ex medicinæ libris, & ex medicorum ſcholis exſibilanda falſa & inutilis Curtianorum opinio, cum ne dum quod juvamentum afferat in tuenda valetudine, & curandis morbis, verum nocumentum infert quamplurimum. Sed quod in Curtio demiror, eſt quod illam irrefragabilem ſententiam Galeni oblivioni mandarit, ac præſertim in tuenda valetudine tua, cum talis ac tantus ſis, & toto Chriſtiano gregi tam neceſſarius, ac jam in prima conſtitutus ſenectu-*

te,

(1) Diſcept. Med. ad Clement. VII.

te, in qua conſuetudinem mutare tentaverit, cui veritas & Galeni opinio aperte in faciem reclamat, cum dixit: Qui cuilibet rei inſueſcunt magna ex parte naturæ ſuæ convenientem conſuetudinem deligunt: propterea quod ſi non conveniant, ſubinde læſi ipſa repudiant: aliqui vero vel dulcedine ducti, vel præ nimia dementia non ſentientes ſe lædi, in pravis conſuetudinibus perſiſtunt, verum hi pauci ſunt, plures qui non perſiſtunt. Quo magis rationabile eſt minus errare medicos, qui omnem conſuetudinem ſervandam cenſent. Tandem diſceptationem hiſce verbis concludit: *Hæc tamen Sanctitati tuæ ſufficere mihi ſatis eſſe videntur, in manifeſtanda Curtii falſa, & ad opera vitæ minime utili de cœna & prandio opinione.* Clemens vero, cui fortaſſe Curtii rationes ſapiebant magis, vivendi methodum immutavit, ac brevi diem obiit ſupremum. Hinc Antonius Muſa, quem litterariæ non fugiebant queſtiones, in Dialogo cum Sene ſextum & decimum a Clementis obitu poſt annum ita alloquitur (1): *Cur potius opipare non cœnas, & mediocriter non prandes?* Cur Senex reſpondet: *Ita a pueritia aſſuetus ſum: Medicos autem audivi de hac cœnæ, ac prandii copia in meo pharmacopolio uſque*

(1) Exam. Trochiſc. p. 8.

uſque ad convitia differentes, qui neſcio quem virum adducebant hominum mores pervertere tentantem (de Curtio intelligendum) *omnibuſque ſuadentem cœnam prandio ampliorem eſſe oportere*. Braſavolus vero interogat: *Cogitne quempiam hic vir ad tantam cœnam, ac prandium deſumenda? An cogat* (reponit Senex) *ignoro, audivi tamen, quod omnes illos imperitos eſſe arbitratur, qui aliud agunt, & hominibus aliud præcipiunt, & hoc convitiis ac blaſphemiis inſequitur: imo addebant totam victus rationem Leoni X. Pontifici Maximo immutaſſe. Clementi, non Leoni* (ſubdit Braſavolus, quem de Curtio loqui comperta res eſt), *ſed immutato vivendi genere brevi obiit Clemens, qui diutius ſupervixiſſet, ſi ſuo illo primo, ac diu aſſueto vivendi genere uſus fuiſſet*. En tandem inveſtigata ratio, qua de Pontificis vita edoctus Braſavolus viſus eſt. Num vero hinc Clementi medicam conſilio opem tuliſſe recte concludetur? Ego ſane diſſentio. Quare cum nullo alio innitatur Baruffaldus argumento, ut a Clementis conſiliis Braſavolum fuiſſe probet, mihi parcat velim, ſi ab ipſius opinione recedam. Et quonam revera animo ab Braſavolo conſilium duo hi Pontifices petiiſſent, ipſum non ignorantes Alphonſo Duci præ omnibus carum illique addictiſſimum, & propter

pter inimicitias, quas ipſi cum Duce gerebant, ſibi maxime infenſum. Si quis profecto ab Leone annis præſertim MDXX & XXI, & Clemente contra Alphonſum acta ex hiſtoriis (1) noverit, nunquam adducetur, ut credat, Medicum Alphonſo Duci ſubditum ab iiſdem in ſuæ vitæ diſcrimine in conſilium advocatum fuiſſe. En quæ de Clemente præſertim Braſavolus ſenſerit: *Clemens Pontifex ſeptimus*, ait ipſe (2), *inteſtino odio Alphonſum Illuſtriſſimum Principem proſequebatur. Septimo Calendas Octobris obiit Pontifex Anno a Chriſti ortu milleno quingenteno trigeſimo quarto. Quinto Calendas Octobris vigeſima prima hora Illuſtriſſimo Duci relatum eſt Clementem obiiſſe. Hora prima noctis Illuſtriſſimus Dux ægrotare cœpit; pridie Calendas Novembris hora ſexta noctis ſextadecima horæ parte dempta, immortali Deo animam reddidit rebus ſuis Chriſtianiſſimo more diſpoſitis. O iniqua fata. O Syrenes uſque in exitium dulces humanas res, quæ, quum blandiri incipiunt, mox necant. Non potuit hic generoſiſſimus Princeps res ſuas pacatas unquam videre. Nam ab initio principatus uſque in vitæ calcem omnia adver-*

(1) Muratori loc. cit. p. 144. 153. 198. Platina in Vita Leon. aliiq.

(2) Exam. ſimpl. Med. p. 594.

adverſa, quæ Principi contingere poſſunt, habuit, & egregie ſuperavit. Potentiſſimi hoſtes eum non modo pungere, ſed vorare, & deglutire tentarunt. Ipſe dimicans, & ſapientia omnes expulit, vicit, & triumphavit. Toties ei factæ ſunt inſidiæ (1), *ut pigeat, ac pudeat a quibus, & quoties referre. His omnibus denique ſuperatis, quum tempus quietis inſtaret, morte præventus &c.* Tali autem animo erga ſe ipſos Braſavolum futurum conjectura ſaltem uterque Pontifex aſſequi poterat: qua de re utrum ab iis probabiliter conſultus fuerit Lectori noſtro pronuntiandum ſubjicio. Nam mea me dubitatio tardiorem ad judicandum facit.

V I.

Qui publicas Theſes de Quolibet ſcibili.
De *quolibet ſcibili* diſputaſſe falſum oſtenditur.

QUum in exornanda clariſſimorum hominum vita ſubtiliſſimi Scriptores operam ſuam ponunt, ſicuti ii multa abundare ſolent eloquentiæ & ingenii vi, ita vel ex levioribus conjecturis valida ſibi confingere argumenta ſtudent, quibus aliqua illis fiat acceſ-

(1) Vide Muratori loc. cit. p. 198.

acceſſio laudis vel dignitatis. Inſcriptionis Braſavolo poſitæ illuſtrator Baruffaldus (1), Borſettus (2), aliique nimium Braſavoli laudibus conſulentes in horum numero fuerunt. Verum quantum huic ratiocinandi methodo fallaciæ ſubeat, vix credibile eſt. Exemplis, quæ hactenus attuli, hoc addam ulterius. Quum ii inter centum concluſiones, quas publice Fetrariæ, Patavii, Bononiæ, & Pariſiis Braſavolus propugnavit, octogeſimam ſecundam legiſſent, in qua ipſe *de quolibet* paratus ad diſputandum oſtenditur, facile & ſibi & aliis ſuaſerunt *de quolibet ſcibili* concluſionem eſſe intelligendam. At ſi quis ſerio rem ſecum reputet, mecum ultro conſentiet, Auctores eos nimium Braſavoli laudibus tribuiſſe. Antonius Muſa ex Theologia, & ex Metaphyſica quinque theſes defendendas excerpſit, ex naturali Philoſophia octo, ſeptem ex Platonis Dogmate, & ex aliis Scientiis aliquas tantum delibavit. Non igitur omnia quæ in iis Scientiis continentur, amplexus eſt. Non igitur *de quolibet ſcibili* diſputavit. Præterea num centum illæ concluſiones ex omnibus

(1) Coment: cit. §. XXVII. p. 118.
(2) Hiſt. Gymnaſ. Ferrar. P. II. *Lib.* II. p. 133.

Digitized by Google

nibus diſciplinis petitæ ſunt? Minime gentium. Quilibet enim vel leviter eruditus innumera pene Scientiarum genera recitabit, de quibus nullum in concluſionibus verbum factum eſt. Quomodo ergo *de quolibet ſcibili* ſermonem in ea concluſione haberi cenſendum erit? Si vero diſputationem eam de quibuſcumque artibus aggreſſus eſt, cur centum tantummodo concluſiones poſuit? Cur non unicam tantum, quod ea in re fieri debuerat, potius exhibuit *de quolibet ſcibili*?

At cur eo in loco, inquies, ſe *de quolibet* diſputaturum ſpondet, vel de quo tandem queſtio erat? Facilis, mea quidem ſententia, reſponſio eſt, quæ ex ſupra dictis, ubi de hac diſputatione egi (IV. I.), colligi poteſt. Braſavolus per ea tempora Dialecticam publice docuerat: erat igitur Dialectica ea Philoſophiæ pars, in qua præ reliquis eminere Braſavolum, uti Logicæ publicum Profeſſorem, æquum erat. *Turpe enim*, ajebat ipſe, *quidem eſt Doctori publice Logicam profitenti, ſi de omnibus* (ad Logicam ſcilicet ſpectantibus; non enim turpe eſſet Logico ſi v g. de Aſtronomia diſſerere neſciret) *ex inſperato quoquo modo reſpondere neſciat*. Quid igitur Braſavolo faciundum erat?

rat? Nullum ſane melius conſilium præſto erat, quam ſi de ea Philoſophiæ parte nullam certam propoſitionem ſtatueret, & de omnibus, quæ ab ea proponuntur, diſputaturus accederet. Hoc itaque conſilii cœpit, neque aliam ex Dialectica theſem, quam hanc *de quolibet* expoſuit. Rem ita eſſe cuilibet vel theſim tantummodo legenti apparebit; ſubdit enim *ideo hanc concluſionem univerſalem adduxero de quolibet*, de iis ſcilicet, de quibus turpe erat Doctori Logicam profitenti diſſerere non poſſe, ut in eadem theſi explicaverat. Quid clarius, & ad concluſionem explicandam accomodatius afferri poteſt? Nam ſi concluſionis ſententia eſſet, Braſavolum præter eas theſes ex diverſis diſciplinis ſelectas de reliquis etiam queſtionibus, quæ in iis diſciplinis fieri poterant, diſputaturum, illa profecto concluſio *de quolibet* vel ſingulis concluſionum titulis addenda erat, vel initio ſaltem concluſionum clare exponenda. Cur autem eam ſub titulo *in Dialectica* tantum collocavit? Fateamur igitur neceſſe eſt, non *de quolibet ſcibili*, ſed de iis ſolum, in quibus Logica verſatur, nulla prædefinita ad diſputandum materie, Braſavolum diſſeruiſſe. Neque tam exigua erat propoſitarum concluſionum copia, ut

ſine

Digitized by Google

ſine generalis hujus *de quolibet ſcibili* præſi-dio magna illa concertatio a ſumma eruditionis laude, ac ſplendore quicquam deficere poſſet.

VII.

Ubi Muſæ nomen, ipſo Franciſco Rege præconizante, ſibi comparavit.

Muſæ nomen a Franciſco I Galliarum Rege Braſavolo datum contra plures Scriptores negatur.

JAm inde ab hujuſce hiſtoriæ exordio Comitem Franciſcum Patrem Antonii Muſæ nomen filio impoſuiſſe (I. I.) pronuntiavi, eos omnes Scriptores (VII. I.) redarguens, qui Muſæ nomen a Franciſco Galliarum Rege datum jactitant. Quonam ex fonte popularis hæc opinio profluxerit, ſi minime probare potero, nihil refert. Sat eſt, ut contra obſcuros Scriptores meam tuear ſententiam. Non multis autem eſt opus. Duo tantum eligo ex Braſavolo teſtimonia, quibus reliqua labefactantur quorumcumque Scriptorum. Quum ipſe de Antonio Muſa Auguſti Medico verba faceret, ait:

Digitized by Google

ait: *cujus nomen ut imitarer, patri meo placuit, ſed utinam in re medica, & non in ſolo nomine illi ſimilis eſſem* (1); & alibi clarius: *Duo celebratiſſimi fratres in noſtra inclyta, & ſalutari arte fuere, Euphorbius, & Antonius Muſa, cujus nomen patri meo Franciſco Braſavolo imitari placuit, quum ABUNDA BAPTISMATIS ATTOLLERER, ſed utinam doctrina, non ſolum nomine antiquum illum Antonium Muſam Auguſti Medicum imitarer* (2). Profecto ſi Muſæ nomen Braſavolo minime a Patre adjectum eſſet, ſtultum eſſet dicere, Patri placuiſſe, filium Antonium dici, ut Auguſti Medicum referret. Nulli hoc hominum conſilium in mentem veniſſet. Item ſi a Patre, ut Auguſti Medicum imitaretur, Antonii tantum nomine appellatus fuit, poſtea vero Muſæ nomine a Franciſco Rege donatus eſſet, Braſavolus hiſce in locis facile addidiſſet (utrumque enim librum a Galliæ reditu compoſuit, cum jam Muſa diceba-tur), ſcilicet, quod Pater ex parte aggreſſus eſt, ut ſub Antonii nomine Auguſti Medicum referrem, Franciſcus me Muſam vocari volens, perfecit: Pater ſcilicet prolu-

(1) Comment. in Aph. Hipp. &c. lib. 2. aph. 52 p. 346.

(2) Exam. Simpl. Med. §. de Gumm. p. 471.

Digitized by Google

ſit Regi, vel Rex Patris conſilium aſſequutus melius declaravit. Itaque ſi Muſæ nomen in Baptiſmate a Franciſco Patre, non ergo a Chriſtianiſſimo Rege, Braſavolo impoſitum fuit.

§. VIII.

Cujus tamen ortum præceſſerunt Franciſcus Comes Genitor & Hieronymus Frater.

Hieronymum Fratrem Antonii Muſæ ortum præceſſiſſe oppugnatur.

IN primo hiſtoriæ noſtræ limine, dum humanioribus literis adhuc puer vacabat Antonius Muſa, Comitem Franciſcum Genitorem diem extremum abſolviſſe denuntiavimus. Hoc quidem minime Inſcriptioni, neque hæc enuntiationi obſtat noſtræ: Baruffaldus tamen in hujuſce particulæ commentario (1) aperte aſſerit, Comitem Franciſcum anno circiter MDXX eſſe vita functum. Quod noſtræ adverſatur narrationi. (I.I.) Huic autem Scriptoris clariſſimi teſtimonio teſtimonium ipſius Antonii Muſæ opponam: *Humanioribus*, inquit (2), *literis incumbere cœ-*

(1) p. 148.
(2) Exam. Catap. p. 14.

Digitized by Google

cœpi . . . . . nullus erat qui me ad bonas literas hortaretur atque excitaret . Quin Mater mea viro orbata, ut erat circa filios tenella, cum nocte ſurgebam ut literis incumberem, conquerebatur, mihi convicia dicebat: timebat enim ne in illa tam tenera ætate in aliquam ſævam ægritudinem inciderem, & ante diem morte prævenirer. Quo in loco ea perpendenda ſunt verba, *nullus erat &c.*, & mox *Mater mea viro orbata* , & alia *in illa tam tenera ætate* , dum humanioribus literis operam navabat, tunc demum concludendum, Comitem Franciſcum anno MDXX minime vita exceſſiſſe; nam ad hoc tempus jam publicus Dialecticæ Lector (III. I.) recitatas (IV. I.) centum concluſiones publice propugnandas ſuſcepit. Non erat ergo *in illa tam tenera ætate*, quam de ſe ipſo prædicat Antonius Muſa..

Natu quoque majorem Fratre Hieronymo (I. I.) Antonium Muſam ſcripſi. Itaque ut hiſtoriæ noſtræ minime adverſari hæc Inſcriptionis pars videatur, contendam Hieronymum Antonii ortum non præiviſſe, ſed eſſe ſubſequutum. Uno hìc me expediam argumento, quod in Commentario ſæpius citato mihi ſuppeditat clariſſimus Baruffaldus. Conſentit ipſe (1) contra Inſcriptio-

(1) Coment. cit. p. 63.

nis enuntiationem, Antonium Muſam XVII Calendas Februarii anno MD in lucem prodiiſſe, Hieronymum vero fratrem circa annum tantum MDII (1), biennio ſcilicet poſt. Sed quum & hic pariter optimi Scriptoris diligentia rem minus aſſequuta ſit, adducam teſtem ipſum Braſavolum: *Tunc octavum* (ait) *agebam ætatis meæ annum, & Hieronymus quintum* (2). Ex quo duo conſtant, Hieronymum non præceſſiſſe Antonii ortum, ut Inſcriptio habet, & non biennio poſt, ut Baruffaldus aſſerit, ſed triennio, ideſt anno MDIII Hieronymum natum.

Quæ quum non contradicendi ſtudio, ſed veritatis inveſtigandæ amore ſcripſerim, ſi qua ex parte cum ea minime conſentire cognovero, prior ipſe reprobare, ac retractare paratus ſum. Quod ſi non alium ex ſtudiorum meorum vigiliis, cum Braſavoli opera, & aliorum illuſtrium Medicorum attenta manu pervolverim, fructum reportarem, quam ut clariſſimi Viri memoriam clariorem redderem, ejuſque geſta vel ſcripta, quæ alterius ope indigebant, illuſtrarem, uberrimam laborum meorum mercedem conſequ-

(1) Ibid. p. 149.
(2) De Med. tam ſimpl. quam comp. cathart. &c. p. 96. lit. D.

Digitized by Google

ſequutum eſſe lætaret. Id me interim in præſentiarum recreat, me aliqua ſaltem ex parte eo grati animi munere exſolutum, quo & Braſavolo, qui mihi permulta Medicæ Artis præcepta reſeravit, & florentiſſimæ Ferrarienſi Univerſitati, quæ ſuis me inſtitutionibus, laureaque Phyſico-Medica ornavit, devincebar.

Digitized by Google

INDEX

RERUM, ET AUCTORUM

Romani pauci numeri epiſtolam ad Clariſs. Barottum indicabunt.

A

ACademia Edimburgi V. Edimburgenſis.
. . . . Ferrariæ inter Italiæ præcipuas a Jouberto locatur pag. 106.
. . . . Lipſiæ V. Lipſienſis
. . . . Pariſiiorum V. Pariſina
Alimenta tenuvia obſunt robuſtis p. 137.
Alphonſus I Dux ſuum Archiatrum efficit Braſavolum 31. familiariter cum eo agit 32. 35.
. . . . II Renatum Braſav. in ſuum delegit Archiatrum 116. inde Hieronymum 118.
Amor Antonii M. in Ducem & Patriam 166.
Antidotarium Bergomi cit. 89.
Archiater apud Paulum III P. Romæ nunquam moratus eſt Antonius M. 60. 165. & ſeq.
Areoſtus Ludovicus cum Braſavolo iter facit 32.
Argenterii Jo: de Antonio M. judicium 3. 42. & ſeq.
Ars Medica capit in dies incrementa 80. amplificata ab Antonio M. 83. ad 90.
Aſti Felix Prothophyſicus laudatus 81. Puerum dyſſenthericum Vitri Antimonii cerati ope, fruſtra aliis tentatis remediis, a morte liberat 82.
Aſtruc Jo: de morbo gallico tractatum Antonii M. laudat 70.
Auctor ſcriptis cujuſdam excitatus reſpondet 80. & ſeq.

Aac-

Digitized by Google

B

Bacchanellus Jo: Braſavoli diſcipulus 102.
Barotti Jo: Andreas errorem Baruffaldi Auctori detegit 26. laudatur ib. & ſeq. 54. XXII & ſeq. Baruffaldi hallucinationem excuſat 97.
Bartoli P. Daniel laudatus 37.
Baruffaldus Hieron. concluſiones Antonii M. evulgat 9. Reformatorem Archigymnaſii Ferrr. ſua diligentia anno 1527 eum invênit 27. Poeticas ſcriptiones Jo: Franc. Braſavoli edit 122. Inſcriptiones ad feretrum Antonii M. 142. & M.S. refert 143. Syllabum operum a Bono prætermiſſorum adjicit 24. 150. in vetuſtioribus monumentis evolvendis diligentiſſimus 156. impiger ſcriptor 164. Impugnatus 3. 25. 28. 55. 59. & ſeq. 77. 96. & ſeq. 116. 120. 139. 156. & ſeq. 164. 165. ad 177. 178. & ſeq. 189 194. 196.
Bayle Petrus fallitur 120. cit. 121.
Bellini Vincentius citatus 27. laudatus 55. 74.
Bertini Joſ. Maria Xaverius primum Mercurii uſum perperam ſtatuit 86. Braſavolum cum Sennerto male conjungit 87
Bibliotheca Antonii M. omnium librorum refertiſſima 93.
Bonacoſſus Jacob. Archiater Pontif. ultimum diem abſolvit 176.
Bonus Jac. Antonius miratur Braſavolum tot volumina ſcripſiſſe, & edidiſſe 93. & ſeq. 143. ſcripta ejuſdem refert 148. & ſeq. citatus 22. 36. 41. 57. 65. 100. 108. 115, 128. 131. 163.
Borſettus Ferrantes Poeta lepidiſſimus, & diligentiſſimus Hiſtoriæ Almi Ferr. Gymnaſii Scriptor 162. obiit XXII. citatus 2. 36. 122. 165. 181. hallucinatur 119. & ſeq. 189.
Boſcus Hippol. Renatum Braſav. commendat 117.

Bo-

Digitized by Google

Bovius Franc. in Grammatica Antonii M. Præceptor 4. carminibus diſcipulum laudat 63.

Burſerius Jo: Baptiſta in aſſignanda Mercurii interni uſus epocha aberrat, 86.

Braſavolorum familia nobilis 1. habitatio 2.

Braſavolus Antonius M. oritur 3. cur ita apelletur ib. quale ingenium 4. tempus diſtribuit 5. Clericus efficitur ib. Juris civilis & canonici ſtudium inchoat ib. ad Medicinam ſe vertit 6. Dialecticæ Lector deſignatur 7. Philoſophiæ & Med. laurea donatur ib. Practicam exercere cœpit 8. centenas concluſiones publice defendit ib. exponuntur 9. opera exarat 21. 22. 23. 24. 25. 27. 39. 40. 52. 53. 58. 62. 63. 64. 65. 69. 71. 145. ad 151. 148. & ſeq. Herculis Eſtenſis Archiater, Philoſophiæ Lector 25. & Reformator Archigymnaſii Ferr. creatur 27. Galliam petit 28. Pariſina in Academia per triduum concluſiones propugnat ib. honoribus & muneribus a Franciſco Rege donatur ib. S Michaelis Eques creatur 29. inter Sorbonicos Doctores recenſetur a multis ib. e Gallia redit & nubit Caſſandræ Roberti 30. quot filios procreet 31. Alphonſi I Archiater ib. cum eo familiariter agit, & Venetias proficiſcitur 32. & ſeq. Herculis Archiater peculiari confirmatur diplomate 35. hinc perpetuus Reformator conſtituitur ib. Univerſitatis Lectores convocat 35. amatus ab Hercule & donatus 37. Neapolim pergit 41. 54. Botanicam coluit 51 & ſeq. a Carolo Imper. laudibus & honoribus cumulatus 56. aphoriſmos Hipp publice interpretatur ib. ſumme literas græcas callait 58. Lucam adit 59. ibi a Paulo III P. Archiatri titulo decoratur 61. epidemicos Hipp. libros publice explanat 64. Romam petit, in infortunia occurrit 66. & ſeq. primus gonorrhæam deſcripſit 71. Calcagnini opera evulgat 74. adverſus Leonicenum & Manardum Præceptores

[illegible]

diſputat 78. nulli Scriptorum auctoritati ſubſervit inconſultus ib. omnia experitur ib. & 83. & ſeq. in Mercurio vim anthelminticam primus detexit, & primus eum exhibuit 86. alia invenit remedia 87. & ſeq. Chirurgiam exercuit 90. otii inimicus 91. & ſeq. mira facilitate ſcribit 93. Diſcipulos amat 95. & ſeq. e tota Europa eos trahit 100. & ſeq. Judex eligitur in quæſtionibus medicis 103. & ſeq. diſſidia litteraria ſuccidit 104. magnam in Medicina obtinet auctoritatem 105. feliciſſime vaticinabatur & curabat 108. a Principibus conſultus 109. & a *Provinciis* 111. Pietatem coluit 113 & ſeq. in liberos educandos ſolicitus 115. naturam bilioſam immutat 123. & ſeq. modeſtus & humanus 128. famæ ſuæ ſtudioſus 129. Caritatis tantum deſiderio Artem exercet 131. quamnam habuit ſtructuram 133. vivendi normam 135. & ſeq. obiit 138. Parentalia 141. opera 148. & ſeq.

Braſavolus Franciſcus Comes Juris utriuſque, Phil. & Med Doctor, Lector, Pater Antonii M. 1. cur Antonium Muſam voluit filium appellari 3.

. . . . . . Hercules V. Rodulphus P.

. . . . . . Hieronymus quando natus 196. non præceſſit ortum Antonii M. fratris 195. Phil. & Med. Doctor, Lector obiit 2.

. . . . . . Hieronymus fil. Antonii M. 31. Medicus Ducalis 118. lucubrationes edit 119. ſcribit 121. & ſeq. a Pio Ænea Caprilli inter ſummos Auctores locatus 118. publicus Medicinæ, & linguæ græcæ Lector ib. obiit ib.

. . . . . . Hippolitus fil. Antonii M. 31. Phil. & Med. ac in utroque Jure Doctor, & P. Lector 121.

. . . . . . Joan. Baptiſta frater Antonii M. puer deceſſit 2.

. . . . . . Joan. Franciſcus fil. Antonii M. 31. Rhetor præſtantiſſimus 122.

Digitized by Google

. . . . . . Renatus fil. Antonii M. 31. Phil. & Med. Doctor, Lector P. evadit. Henrici II, Herculis II, Alphonſi II Archiater conſtituitur & Moderator Univerſitatis 116. Comes Palatinus creatur 117. a Profeſſoribus conſultus ib. pro Ferdinando Archid. Auſtriæ conſilium exarat 118. deceſſit ib.

C

CAlcagninus Cælius Antonii M. Præceptor 4, Diſcipulo devovit opuſcula 74. obiit ib. Ejus opera ib.

Cananus Jo: Baptiſta laudatus, Braſavoli diſcipulus 101.

Caprilli Cæſar, & Pius Æneas, Braſavoli diſcipuli 101. Alter inter ſummos Auctores Hieronym. Braſavolum locat 108.

Cardanus Hieron. omnibus aliis præferebat Antonium M. 105. cauſſam ejus mortis aſſignat 137. quid de eo ſenſerit 147. citatus 104.

Carolus V Imperator honoribus & laudibus Braſavolum cumulavit 56. eum conſulit 109.

Caſtellani Hyacinthus Anſelmus amantiſſimus Auctoris Parens xx.

. . . . . . Petrus citatus 48.

Caſtro a Petrus indicem Braſavoli in Galenum laudibus extollit 72.

Catarozus Marcus Renati Braſav. Præceptor 116, laurea inſignitur ib.

Cœcus Adrienſis V. Grotus Aloyſius.

Cæſalpinus Andreas inter Botanicæ Reſtauratores Braſavolum recenſet 50.

Chirurgiam exercuit Antonius M. 90.

Cibaria imbecilla brevem efficiunt vitam 137.

Cicero citatus xi. xiv. xv. 50. 105. 127. 133.

Clementis VII P. an Phyſicus a Conſiliis Braſavolus fuerit, ambigitur 183. & ſeq.

Collegiorum cætus Antonii M. funus comitantur 141.
Concluſiones, quas Ferrariæ, Patavii, Bononiæ propugnavit Braſavolus, exponuntur 9. & ſeq.
Cornelii Celſi elogium Hippocrati 78.
Coronelli F. Vincentius fallitur 120. impugnatur 167.
Cronenburgius Bernardus Deſſenius Virum magnæ auctoritatis dixit Braſavolum 105.
Curtius Matthæus cum Andrea Turino dimicat 184.

D

De quolibet ſcibili Braſavolum diſputaſſe falſum oſtenditur 188. & ſeq.
Dialecticæ Lector deſignatur Antonius M. adhuc adoleſcens 7. octo annis eam legit 23.
Diæta tenuis ſanis obeſt 137. & ſeq.
Diplomate honorifico Fridericus II Mantuæ Dux Braſavolum affecit 110.
Diſceptatio inter Matthæum Curtium, & Andream Turinum 183.
Diſcipuli celebriores Antonii M. recenſentur 101. & ſeq. cogunt Præceptorem incendii cauſſa lectionem reſecare 99.
Diſſidia inter Montuum, & Fuchſium a Braſavolo ſuccisa 104.
Doctorem in utroque Jure Antonium M. fuiſſe negatur 156. ad 162.
. . . . . . in Theologia vocatur in dubium 163. & ſeq.
Dona a Paulo III & Julio III Pontif. reportat Braſavolus 109.
Dubitatur an Antonius M. Leonis X & Clementis VII Phyſicus a Conſiliis fuerit 177. & ſeq.
Dulcia amabat Antonius Muſa 135. & ſeq.
Dyſſentheria Vitro Antimonio cerato curatur 80. & ſeq

E

EDimburgenſis Academia Vitrum Antimonium ceratum in Dyſſentheria commendat 80.
Editio operum Cælii Calcagnini debetur Braſavolo 74.
Elenchus Auditorum Braſavoli 101.
. . . . . . Operum Antonii M. 148. & ſeq.
Elogium Braſavolo a Guarino inſcriptum 142.
. . . . . . In Univerſitate Ferrar. marmore inſculptum 153.
Epidemicos Hippocratis libros publice explanat Antonius M. 64.
Epiſtola Leonis X P. ad Nicolaum Leonicenum 181.
Eques S. Michaelis in Galliis creatur Antonius M. 29.
Erroris confeſſio convenit magno ingenio 78.
Exequialia Antonii M. 141.

F

FAbra a Aloyſius laudatus 144.
. . . . . . Angelus laudatus ib.
. . . . . . Ægidius laudatus 122.
Fabritius J. A. citatus 59.
Facilitas in ſcribendo mira Braſavoli 93. & ſeq.
Falloppius Gabriel diſcipulus Antonii M. 88. 101. indicem in Galenum a Præceptore imprimendum obtinuit 72.
Feretrum Antonii M. inſcriptionibus decoratur 142.
Ferraria eximios Viros magni ſemper habuit 141.
. . . . . . plurimos ſemper aluit doctiſs. Medicos 116.
. . . . . . unicos in omni exercitationum genere procreat viros 1.
Ferrarienſes Medici cœleſti influxu ſavente doctiſſimi & diligentiſſimi xx. 107.
Ferrarienſis Academia V. Academia.

Fici.

Digitized by Google

Ficinus Marſilius 124.
Filii Antonii M. recenſentur 31.
Florio Marcus Ant. Braſavoli diſcipulus 101.
Fontana Alexander quæſita proponit Braſavolo 71.
Franciſcus I Galliarum Rex coluit Antonium M. & laudibus & honoribus cumulavit 28. 29. eum conſulit 109.
Fridericus II Mantuæ Dux immunem vectigalibus voluit Antonium M. 38. honorifico diplomate affecit 110.
Friſius citatus 53. 57.
Fuchſii Leonardi conqueſtio 41. diſſidia cum Sebaſtiano Montuo a Braſavolo ſuccisa 104. indignatio in Braſavolum, quem male confutavit ib.

G

Gabriellis de Gaſpar laudatus, Braſavoli diſcipulus 101.
Gallus Paſchalis de morbo gallico tractatum Antonii M. celebrat 70.
Geoffroy Stephanus Franc. Braſavolum & Muſitanum male conjungit 87.
Geſnerus citatus 57.
Giuſſani Aloyſius dyſſentheria correptus Vitro Antimonio cerato ſanitati reſtitutus 82.
Gloriæ inſolentia literatos non raro titillat 127.
Gonorrhæa virulenta a Braſavolo primum deſcripta 71.
Græcam linguam optime callebat Braſavolus 58.
Grotus Aloyſius Ferrariam laudat 1. & Ferrarienſes XXII.
Guarinonus Chriſtophorus Renatum Braſavolum conſulit, laudat 117.
Guarinus Alexander Braſavolo elogium inſcribit 142.

Haller

Digitized by Google

H

HAller Albertus citatus 53. non adeo de botanico Antonii M. opere utiliter ſentit 50. & ſeq. ſed defenditur Braſavolus 51. de morbo gallico tractatum Antonii M. laudat 76. Hunc contra Fuchſium defendit 104.
Henricus VIII Britanniæ Rex Antonium M. conſulit 109.
. . . . . . II Franciæ Rex Renatum Braſav. ſuum conſtituit Archiatrum 116.
Hercules II Ferrariæ Dux Antonium M. in ſuum delegit Archiatrum 25. confirmat 35. immunem vectigalibus facit 31. amat, donat 37 ejus funus cum Collegiorum cœtu comitatur 141. Renatum Braſav. ſuum conſtituit Archiatrum 116.
Hippocrates Magiſtrum Parentum loco habuit XIII. non cupit aurum ex morbis 131. quid de Democrito ſcripſerit 141. citatus 108. 138.
Hiſtorici munus eſt veritatem inquirere 163.
Horatius XVII.
Horto ab D. Garzia ingenuitatem Braſavoli in ſcientiis prædicat 79.
Humanitas Medicum commendat 129.
Hydrargyrus inter venena ab Antiquis recenſebatur 85. a Braſavolo ut anthelminticus in primis detectus 86.

I

IMperialis Jo: laudibus extollit Antonium M. 145.
Incendium tegetis Antonii M. 52. 97. & ſeq. 134.
Infortunia & inſomnia terribilia Braſavoli 66. & ſeq.
Ingenium ad quælibet conſcribenda in Braſavolo mirum 93. & ſeq.
Ingenuitas Braſavoli in ſcriptis 76. & ſeq.

Digitized by Google

Injuria nemini inferenda 126.
Inſcriptio in Univerſitate Ferr. marmore inſculpta 153.
Inſcriptionibus decoratur feretrum Antonii M. 142.
Inſolentia gloriæ literatos non raro titillat 127.
Inventa a Braſavolo 83. ad 90.
Iter facit Antonius M. cum Duce & Areoſto 32.
Itinera ab Antonio M. inſtituta 28. & ſeq. 32. & ſeq. 41. 54. 59. 66. & ſeq. 91. & ſeq.

J

James Robertus citatus 87.
Jejuna Braſavolo noxia 138.
Joubertus Laurentius Ferrarienſem Academiam inter Italiæ præcipuas collocat 106.
Judex eligitur Antonius M. in abſtruſioribus quæſtionibus 103.
Julius III P. Braſavolum vocat Romam, & conſulit 109. obiit 180.
Jureconſultum fuiſſe Braſavolum negatur 156. & ſeq.
Juvenalis xiv. 100. 126.

L

L Advocat Sorbonicus Profeſſor Braſavoli opera commendat 62.
Laertius Diogenes 131.
Langius Jo: Ferrariam petit, ut Antonii M. & Manardi doctrina proficeret 106.
Laryngotomia a Braſavolo feliciter inſtituta 90.
Leonicenus Nicolaus Antonii M. Magiſter 6. melioris medicinæ in Italia parens 89. ab Leone X. epiſtolam accipit 181.
Leonis X & Clementis VII an Phyſicus a Conſiliis fuerit Braſavolus ambigitur 177 & ſeq. epiſtola ad

Nicolaum Leonicenum 181. mors 178. 181. inopinata 182.
Libanori error 120.
Liberalitas Antonii Muſæ 131.
Lipſienſis Academia vitrum Antimonium ceratum in dyſſentheria commendat 80.
Luiſinus Aloyſius 70.
Luſitanus Amatus ægrotorum copiam a Braſavolo curandorum aperit 38. 131. contra Mundellam eum defendit 47. a Matthioli maledictis vindicatur 48. indicem in Galenum Braſavoli laudibus cumulat 73. hujus judicium multis antefert 105. per nuncios illud expetit 107. Virum & morum ſanctitate & eruditione non vulgari inſignem illum appellat 114. illius humanitate delectabatur 128. Ferrariæ per ſeptennium habitavit 173. ibi publice docuit 48. 174. Ferrarienſes Medicos doctiſſimos dicit 107. citatus xx. 51. 101. 102. 139.
Luſitanus Zacutus Antonium M. laudat 65.

M

MAchiavellius P. Lucas 103. 109. 176.
Madius Vincentius laudatus Braſavolum commendat 103.
Maggi Margarita Mater Antonii M. 2. hunc objurgat ſtudiorum cauſſa 4.
Magiſter hominis Parens x.
Manardus Joan. Antonii M. Præceptor 6.
Mandoſius Proſper 176.
Mangettus Jo. Jacobus hallucinatur 119.
Maſſaria Alexander Braſavolum inter paucos Hippocraticæ periclitantis doctrinæ Patronos recenſet 62.
Matthioli Andreas Amatum Luſitanum mordet 48. Braſavolum laudat 49.

Digitized by Google

Mazzuchellius Jo: Maria Comes citatus 21. 70. 118. 121. fallitur 21. expenditur 43. 57. errat 120. & ſeq.
Maximilianus II Imperator Renatum Braſ. magni fecit 116. & ſeq.
Medica Ars capit in dies incrementa 80.
Medici Ferrarienſes cœleſti influxu favente doctiſſimi 107.
Medicum alterum Lucæ reprehendit Antonius M. 60.
Medicum humanitas commendat 129.
Menſeus Sebaſtianus ad Antonium M. Orator 111.
Mercklini Abr. error 119.
Mercurialis Hieron. laudibus extollit Braſavolum 57. & ſeq.
Mercurium ut anthelminticum Braſavolus primus detexit, ac interne primus exhibuit 86.
Modeſtia Antonii Muſæ 128.
Montui Sebaſtiani diſſidia cum Leonardo Fuchſio ſuccidit Braſavolus 104.
Morerius plures forſan in Aphoriſmos Hipp. editiones falſo notat 56. errat 120. cit. 119.
Muratori Ludovicus citatus 27. 170. 181. 182. 187. 188.
Muſicis inſtitutionibus vacavit Antonius M. 5.
Muſitanus Carolus cum Braſavolo male a Geoffroy & James conjungitur 87.

N.

Natura quid efficere poteſt in Braſavolo videtur experta 95.
Nigriſolius Franciſcus laudatus 57.
Nomen Muſæ a Franciſco Rege minime Braſavolo datum 192. ſed a Franciſco Patre in Baptiſmate 3. 193.
Novem annis Philoſophiam naturalem ex Cathedra expoſuit Antonius M. 25.

Obi-

Digitized by Google

O

Obitus Antonii Muſæ 138.
Obtrectatoribus beneficia rependebat Braſavolus 125.
Octo annis Dialecticam legit Braſavolus 23.
Odia in Antonium Muſam 124. & ſeq.
Oleum de Momordica omnibus hæmorrhoidali affectu laborantibus commune fecit Braſ. 131. & ſeq.
Opera Antonii M. recenſentur 148. & ſeq.
Otium fugit Antonius M. 91. & ſeq.

P

Panizza Ludovicus Friderici II Mantuæ Ducis Phyſicus doctiſſimus 169. & ſeq. ad Braſavolum tamquam judicem in celebri controverſia confugit 103.
Parentalia Antonii M. 141.
Pariſina Academia Vitrum Antimonium ceratum in dyſſentheria laudat 80. in ea propugnat concluſiones Antonius M. 28.
Paulus III P. Braſavolo titulum ſui Medici dat 61. eum Romam vocat, & conſulit 109.
Pietas Antonii M. in Deum 113. & ſeq.
Pigna Jo: Baptiſta 75. 109. 114. 132. 134. 139.
Plato 80. 124.
Plutarcus xxv.
Poſſevinus Antonius 26.
Practicam Medicam quo anno cæperit Braſavolus exercere 8.
Privilegium a Friderico II & Vincentio Mantuæ Ducibus Antonio M. conceſſum 38. & honorificum diploma a primo 110.
Ptiſanæ uſus ad vitæ longitudinem malus eſt 137.
Puſillorum eſt ultio 126.

Ram-

Digitized by Google

R

RAmmazzinus Bernardinus 134.
Rhacuſina Reſpublica Medicum conducendum a Braſavolo petit 111.
Riccius Bartholomæus 36.
Roberti Caſſandra Uxor Antonii M. 30. rebus domeſticis preerat 112. bilioſiſſima erat 127.
Robuſtis diæta tenuis obeſt 137. & ſeq.
Rodulphus P. a S. Hieronymo Scholarum Piarum laudatus 164.
Romæ Antonium M. apud Paulum III degiſſe Archiatri nomine falſum oſtenditur 165. ad 177.
Rondeletius Ferrariam petit, ut Antonium M. viſeret, ejuſque commercio frueretur 106.
Ruellius colit & amat Antonium M. 29.

S

SAnis diæta tenuis obeſt 137. & ſeq.
Sapiens nec injuriam accipere nec contumeliam poteſt 125. caſibus adverſis invictum ſe præbet 100.
Seneca XIV. XXIV. XXV. 77. 79. 125. 139. & ſeq.
Sennertus & Braſavolus male a Bertino conjunguntur 87.
Servi omnes improbi ſunt 133.
Sinapius Joan. laudatus, Braſavoli diſcipulus 102.
Stipendium nullum ex ægrotantibus expectat Antonius M. 131.
Strozza Philippus anulo Antonium M. donat 68.
Structura Antonii M. 133.
Studia immodica ſthomacum enervant 134.
Suſius Jo Baptiſta Antonii M. diſcipulus, Mirandulanus, non Mantuanus 102.
Svvercius Franciſcus XXII.

Digitized by Google

T

TErentius xxv.
Theologiæ Doctorem fuiſſe Braſavolum in dubium vocatur 163. & ſeq.
Theſes, quas Ferrariæ, Patavii, Bononiæ diſputavit Antonius M., referuntur 9. & ſeq.
Turinus Andreas Clementis VII. Archiater Curtium impugnat 183. & ſeq.

V

VAlleriola Franciſcus in Artis Medicæ inventorum numero Braſavolum reponit 89. 181.
Vander Linden errat 102. 119.
Van-ſvvieten Gerardus L. B. Cæſareus Archiater epiſtolam Auctori humaniſſime dedit 81.
Vincentius Mantuæ Dux privilegium Braſavolo confirmat 38.
Viridarium Antonii Muſæ 52.
Vitrum Antimonium ceratum commendatur in dyſſentheria 80. & ſeq.
Ultio minuti & infirmi animi eſt 126.
Uſus Mercurii internus Braſavolo debetur 86.

Z

ZAccaria P. Franciſcus S. J. laudatus 50. 53. 70.
Zecchius Joan: Braſavolum prædicat 57.

EMEN-

Digitized by Google

EMENDANDA.

PAg. 21. lin. 10. l. 22. p. 43. l. 4. p' 57. l. 5. Mazzuchelius *lege* Mazzuchellius p. 49. l. 3. *in bac re* l. *in bac re* p. 52. l. 10 combuſiſſet l. combuſſiſſet p. 74. l. 14. inixi l. innixi p. 82. l. 6. Ipecacuanam l. Ipecacuanham p. 92. l. 4. Apenini l. Apennini p. 98. l. 13. *pulcritudo* l. *pulchritudo* p. 112. l. 16. exquiſiiſet l. exquiſiiſſet p. 113. l. pen jure jurando l. jurejurando p. 118. l. 13. Ferrarienſi (5) collocatus l. Ferrarienſi (2) collocatus p. 119. l. 2. *offitiis* l. *officiis* p. 132. l. 7. ægregia l. egregia p. 138. l 4. liquitur l. linquitur p. 139 l. 6. preſtitit l. præſtitit p. 161. l. 4, *ſantiſſimo* l. *ſanctiſſimo* l. 12. queſtione l. quæſtione l. 21. queſtionibus l. quæſtionibus p. 164. l. 7. dilucidatione l. illuſtratione p. 169. l. ult. queſtione l. quæſtione p. 171. l. 4. diſceſiſſe l. diſceſſiſſe p. 172. l. 11. quoliber l. quo liber p. 177. l. 15. quommodo l. quomodo p. 185. l. 20 queſtiones l. quæſtiones l. 24. Cur Senex l. Cui Senex p. 186. l. 5. interogat l. interrogat p, 190. l. 15. queſtio l. quæſtio p. 191. l. 5. cœpit l. cepit l. 17. queſtionibus l. quæſtionibus.

Die

Die 29 Martii 1767.

D. Felix Aſti Medicinæ Doctor ac Mantuæ in ejuſque ditione Protomedicus videat & in ſcriptis ſaveat referre.

Ita eſt F. Dominicus Maria Bicetti Vicarius Generalis S. Officij Mantuæ.

ADmodum Reverendo Patre Vicario Generali ſupraſcripto annuente, Commentarium de Vita Braſavoli a D. Aloyſio Caſtellani Medicinæ Doctore ac Profeſſore conflatum perlegi; & nil in eo reperi Noſtræ SS. Fidei Dogmatibus aut Diſciplinæ repugnans. Atque ob id; tum etiam Latini ſermonis ob copiam ornatumque, obque ſanum ubique & prudens in cenſurando criterium, & ob rariorum, tam ad ſummum de quo agitur Virum, quam ad Artem noſtram, hinc illinc diſperſarum, ac in unum collectarum, tum & novarum, cognitionum utilem curioſamque expoſitionem; perdignum eſſe cenſeo, ut prœlo committatur ad oblectamentum Eruditorum, Medicorum præſertim emolumentum.

In horum fidem.

Mantuæ die 2 Aprilis 1767.

Felix Aſti M. D. C. & P.

Die 2 Aprilis 1767.

Attenta ſupra poſita atteſtatione

Imprimatur.

F Dominicus Maria Bicetti V. G. S. Off. Mantuæ.

V. Magnaguti.

Digitized by Google

Digitized by Google

005653776

Digitized by Google

GB

Google